DE

NEXV FOEDERVM

PERPETVAE VNIONIS

INTER

AVGVSTAM

DOMVM AVSTRIACAM

POLONIAEQVE REGNVM

AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

IN VTROQVE IVRE RITE OBTINENDO

DIE II. MAII CIↃIↃCCXXXXVIII

PVBLICE DISPVTABIT

HENRICVS GOTTLIEB FRANCKE

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

REVERENDISSIMIS

ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS

SAC. ROM. IMP. COMITIBVS

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS

AC ELECTORIS SAXONIAE

SANCTIORIS CONSILII

MINISTRIS

DE

PATRIAE PATRE CLEMENTISSIMO

SAXONIA VNIVERSOQVE S. R. I.

PIETATE FIDE AC CONSILIORVM DEXTERITATE

OPTIME MERITIS

NATALIVM INSVPER SPLENDORE

AC

SINGVLARI IN MVSAS PROPENSIONE

ILLVSTRISSIMIS

MAECENATIBVS MEIS

LONGE GRATIOSISSIMIS

REVERENDISSIMI

ILLVSTRISSIMI

ATQVE

EXCELLENTISSIMI COMITES

MAECENATES INDVLGENTISSIMI

Beneficiorum profecto, quibus in hunc vsque diem me immerentem licet, cumulastis et magnitudo et multitudo publi-

cum quoddam grati animi documentum, illudque VESTRIS haud indignum Illustrissimis Nominibus, postulare omnino videbantur. Sed quis, quaeso, est, qui non e vestigio perspiciat, duo inprimis requirere illud, argumenti scilicet grauitatem et conuenientem sublimi illi, quo estis constituti loco, dicendi characterem, secundum illud Poetae.

Si canimus siluas, siluae sint
Consule dignae.

Prius quidem me aliqua ex parte in praesenti disquisitione assecutum esse, vel ex ipsa materiae, quam tracto, nobilitate augurari licet; sed posterius quod concernit, vt non tam solutae orationis, cui verborum omnis deest ornatus, quam voluntatis habeatis rationem, a VOBIS MAECENATES INDVLGENTISSIMI, ea, qua possum, mentis caeremonia contendam, ipsa impe-

rare videtur neceſſitas. Gratia hinc VESTRA, quae ſumma eſt, fretus, Excellentiſſimis Nominibus VESTRIS leuidenſem hanc commentationem inſcribere auſus fui; vt hanc veluti aram conſecrarem pietati, qua VOBIS me obſtrictiſſimum profiteor. Qua de cauſſa VOS quoque ſerena fronte hocce qualecunque induſtriae meae ſpecimen, rudi licet Minerua elaboratum

crassoque filo contextum, accepturos esse, spes mihi enascitur firmissima. Quae quidem VESTRA in me indulgentia eo maiori mihi erit incitamento, vt per vniuersum vitae meae cursum in id omni modo enitar, quo obsequii in VOS religione pietatisque officiis me non facile vincat vllus. Quod superest, nunquam intermittam, summum, quod omnia moderatur Numen, ardentissimis precibus

posce-

poſcere, vt VESTRIS, quibus nunc omnium cum bonorum adplauſu, fruimini, felicitatibus veluti cumulus accedat perpetuitas! Haec ſumma votorum

REVERENDISSIMORVM

ILLVSTRISSIMORVM

ATQVE

EXCELLENTISSIMORVM

NOMINVM VESTRORVM

SVBIECTISSIMI CLIENTIS

HENR. GOTTLIEB FRANCKE

§. I. *Instituti ratio.*
§. II. *Definitio, nonnullae diuisiones, vt et praecipui Scriptores Foederum.*
§. III. IV. *Caussae foederum Austriaco-Polonicorum generales, Vniones scil. Polonos inter Bohemosque antiquae.*
§. V. VI. *Caussae speciales, variae species ac origines Foederum Austriaco-Polonicorum.*
§. VII. VIII. *de Foedere inter Casimirum P. R. et Albertum Archi-Ducem Austriae.*
§. IX. X. *de Pacto Friderici III. Imp. cum eodem Casimiro P. R. nec non*
§. XI. XII. *Maximiliani I. Imp. cum Regibus Poloniae, Vngariae et Bohemiae.*
§. XIII. XIV. XV. XVI. *de Vnione haereditaria Ferdinandi I. cum Sigismundo Augusto P. R. ceu fundamento omnium reliquarum eiusmodi Vnionum, eiusque confirmatione Caesarea Caroli V.*
§. XVII. XVIII. *de illius instauratione inter Maximilianum II. Imp. ac Sigismundum Augustum R. P.*
§. XIX. XX. XXI. XXII. *de Pace inter Rudolphum II. Imp. et Sigismundum III. R. P.*
§. XXIII. *de instauratione veterum conuentionum inter eundem Imp. et Regem, vt et*
§. XXIV. XXV. *inter Matthiam Imp. ac dictum Regem; itemque*
§. XXVI. *inter Ferdinandum II. Imp. et Sigismundum III. ac Vladislaum IV.*
§. XXVII. *inter Leopoldum Imp. et Iohannem III. P. R.*
§. XXVIII. *de recentioribus conatibus priscas Vniones Austriaco-Polonicas instaurandi.*
§. XXIX. *Conclusio.*

§. I.

Arduum omnino, et quod magis, intactum adhuc aggredior opus, accuratum scilicet nexum monstrare foederum Augustae Domus Austriacae cum Poloniae Regno. Omnes enim et hic sese obiiciunt difficultates, quae iis solent accidere, qui viam asperam, horridam et incul-

tam aptare planamque reddere tentant. Inprimis eorum, quae ad illuſtrandum argumentum conducere valent, penuria, laborem reddit difficilem et imperfectum. Aſt nihilo ſecius argumenti nobilitas et inſignis inſuper vſus [a]) laeto iubet eſſe animo ac ſuperare omnia, quae enaſci queunt, impedimenta. Quam ob rem, licet in praeſenti primas veluti ſolum plenioris commentationis lineas exhibere valeam; iis tamen fore contentum aequum Lectorem, ſpes eſt certiſſima. Ordinem in iis ſpertexendis eum ſequi viſum eſt, quo initio Foederum definitio atque diuerſae illorum ſpecies generatim repraeſententur, dein cauſſae et occaſiones foederum Auſtriam inter Poloniamque generales, tum ſeries horum foederum in duas diuiſorum claſſes, ſecundum illas ac circa vnumquodque, ſpeciatim illius ortus, potiora notatu digna, nec non praecipua contenta ſiſtantur. Quoniam tamen vtramque claſſem vna ſimul comprehendere diſquiſitione, labor euaderet paulo prolixior; primam ſaltem, quae foedera perpetuae vnionis vniuerſalia continet, in praeſenti perſequi mecum conſtitui, alteram, foedera praeſtationum ſingularium particularia complectentem, ſpeciali diſſertationi reſeruaturus. Generatim vero ſeueram mihi praeſcripſi legem, peruerſum eorum haud imitari morem, qui ſuae ideo eruditionis haud leuis ac multifariae lectionis ſpeciem aliis perſuadere cupientes corradunt omnia, quae poſſunt inuenire, licet ab argumento longe alieniſſima. Humano ſiquidem intellectui per litterarum culturam non facile vlla nobilior, prae ceteris mortalibus, praerogatiua poterit conciliari, quam vt ſciat, cuncta ſuo loco apte ac ſimul ita quidem diſponere, quo nihil abundet, nihil deficiat.

a) Vſum et praeſtantiam doctrinae de Nexu foederum inter Europae Imperia Regnaque docuerunt.

1) Exemplo *Galliae*, *Amelot de la* HOVSSAYE Preliminaires des traitez faits entre les Rois de France et tous les Princes de l' Europe, *à Paris 692. 8.*

2) - - *Sueciae*, *Sam.* PVFFENDORF. Diſſ. de Foederibus inter Sueciam et Galliam, *Hagae Comit. 1708. 8o.* et *Gallice* ſub tit. Diſſerta-

tion

tion. de Mr. de Pufendorf ſur les Alliances entre la France et la Suede, *à la Haye 709. 8o.*

3) - - *Sacr. Rom. Imp. Io Iac.* MASCOVIVS, in Diſſ. de Iure Foederum in Sacr. Rom. Imp. *Lipſ. 726. 4o.*

4) *Daniae, Detl.* REVENTLOV in Diſſ. de Nexu foederum inter Imperium Romano-Germanicum et Regnum Daniae. *Lipſ. 735. 4to.*

§. II.

Foedus ſenſu latiſſimo ſumtum, *eſt pactum duorum vel plurium, partem iurium et obligationum ex Lege naturali deſcendentium accuratius determinans.* Huius adeoque pacti ſpecies potius videtur, quando alii, et plurimi quidem, foedus *conuentionem publicam, ab illis, qui ſummam poteſtatem habent, ad communem aut alterius vtilitatem factam* [a]) definiunt. Definitionem excipiunt diuiſiones foederum. Diuidi autem illa ſolent in plures ſpecies, v. gr. intuitu contrahentium, in realia et perſonalia, aequalia ac inaequalia, nec non ratione obiecti in foedera amicitiae et praeſtationis ſingularis, pariter aequalia et inaequalia; intuitu durationis in temporaria perpetuaque; reſpectu denique finis, in foedera belli pacisque, ac priora quidem rurſus in offenſiua ſimul et defenſiua, aut vel offenſiua ſolum vel defenſiua tantum. [b]) Monuiſſe itaque ſolum, credo, ſufficiet, me hic non niſi eam Auguſtae Domus Auſtriacae cum Poloniae Regno conuentionum publicarum ſpeciem illuſtrare mecum conſtituiſſe, quae vnionem haereditariam perpetuam, mutuamque defenſionem ac praeſtationes ſingulares reſpicit, indeque aequalem vel inaequalem inducit obligationem. Exulabunt ea de cauſſa hic potiſſimum illa publica pacta, quae bellis finem imponere aut de negotiis mere priuatis agere ſolent. [c]) Vnico tantum de prioribus, ob indiſſolubilem cum praeſenti argumento nexum, excepto.

[a]) Vid. *Illuſtr.* MASCOVII Diſſ. de Iure foederum in Sacr. Rom. Imp. pag. 2. §. 2. De foederis notione congeſſit quoque nonnulla Cl. NOLTENIVS, in Lexico ſuo Latinae linguae Antibarbaro, *Edit. Lipſ. 1744. p. 957.*

[b]) Has ſpecies cum iam ſolide tantoque eruditionis apparatu explicue-

 rit

rit *Illustr.* MASCOVIVS, in cit. Diss. p. 3. sq. §. 3. sq. hic persequi, esset sane crambem bis coctam denuo apponere.

[c]) Plurimorum sane morem si vellem imitari, naturam, indolem ac iura foederum tam generatim, quam speciatim illorum, quae hic persequi est animus, praemittere opus haberem. Ast quum hoc argumentum a tot iam scriptoribus fuerit illustratum, centies iam dicta repetere, religioni omnino mihi duxi. Potiores tamen huius doctrinae scriptores hic adferre, forte non erit incongruum. Notari autem merentur.

1) *Ioh.* WERLHOFFII Diss. de Pactis liberarum Gentium. *Helmst.* 1691. 4to.

2) *Frid, Ludov.* WALDNER *de* FREVNDSTEIN, de Firmamentis Conuentionum publicarum. *Giessae 709. 4to.*

3) *Ioh. Zach.* HARTMANNI Programma, de Variatione a pactis Gentium ante ratificationes, quae vocari solent, illicita. *Kiliae.* 736. 4to.

4) *Carl. Ludolph. L. B. de* DANCKELMANN Diss. de Pactis et Mandatis Principis captiui. *Halae 718. 4to.*

5) *Waremund de* ERENBERG Meditamenta pro foederibus ex prudentum monumentis congesta. *Hanou. 601. 8vo.*

6) EIVSD. Meditamenta pro foederibus et definitione foederis noue reperta eiusque variae formulae ex aliis. *Liber II. Francof. 609. 8vo.*

7) *Christoph.* BESOLDI Diss. de Foederum iure. *Argent 1623.* et in *Opere Pol.*

8) EIVSD. Diss. de Foederum iure et vsu. *ibid. eod.* Has duas Dissertationes fide *Bibliothecae Iurid. Lippenio-Ienichianae* et quidem p. 215. et in *Supplem* p. 148. adduco.

9) *Ioh.* SCHEFFER. Diss. de Foederibus. *Vpsal. 1654. 4to.*

10) *Hermann.* CONRING. Diss. de Foederibus. *Helmst. 1659.* et inter *Opera Eius.* T. IV. p. 966-997.

11) *Dau. Ionathan* SCHARFF. Discurs. de Iure Foederum. *Giessae 1683. 4.*

12) *Georg.* SCHVBARTH. Diss. de Moribus Gentium circa foedera. *Ienae 1689. 4to.* Vid. *Biblioth. Iurid Lippenio Ienich.* p. 215.

13) *Io. Franc.* BVDDEI Diss. de Ratione Status circa foedera. *Halae 1696. 4to.*

14) *Ioh. Cph.* WAGENSEIL. Diss. de Iure foederum. *Altorf. 701. 4to.* Vid. *supplem. Biblioth. Lippen-Ienich.* p. 148.

15) *Io. Alb.* STEPHANI de Iure circa foedera Principum. *Regiomonti 721. 4to* Vid. *Bibl. Lippen. Ienich.* p. 215.

16 *Ale-*

16) *Alexander* HAMMER. Diſſ. de Iure ſacrorum et foederum. *Bamb. 738. fol.*
17) *Io. Wilhelm de* GOEBEL de Pactis, foederibus et ſponſionibus. *Helmſt. 743. 4to.*
18) *Frn. Guil.* BIELFELDT. Diſſ. de Foedere inaequali de comiter conſeruanda alterius maieſtate. *Regiom. 1710. 4to.* Vid. *ſupplem. Bibl. Iurid. Lipp. Ienich.* p. 148.
19) *Georg. Adolph.* SCHVBERTH. Diſſ. de Foederibus inaequalibus. *Lipſ. 1715. 4to.*
20) *Polycarp.* LYSER. Diſſ. de Foederibus cum infidelibus. *Lipſ. 676. 4to.*
21) *Martin.* HASSEN. Diſſ. An Princeps Chriſtianus cum non-Chriſtiano aduerſus Chriſtianum foedus ferire poſſit? *Witteb. 711. 4to.*
22) *Iuſt. Chph.* DITHMARI Diſſ. de Foederibus cum diuerſae atque nullius Religionis populis. *Francof. ad Viadr. 1716. 4to.* et in EIVS Diſſert. ac Exercitationibus *Lipſiae* iunctim editis p. 217. ſqq.
23) *Suen.* BRING Diſſ. de Foederibus cum infidelibus et Barbaris. *Lundini Scan. 744. 4to.*
24) *Ioh. Iac.* MASCOV. Diſſ. de Foederibus commerciorum *Lipſ. 735. 4to.*
25) *Math. Frider.* QVADII Diſſ. de Foeda atque infauſta foederum violatione. *Sedini 733. 4to.*

Deprehenduntur quidem adhuc plures hoc argumentum illuſtrantes Scriptores, quos tamen, cum ſint leuidenſes, praetermitto; praecipuos enim indicaſſe ſufficiat.

§. III.

Inter cauſſas porro foederum Auguſtae Domus Auſtriacae cum Poloniae Regno initorum generales, primum omnino praecipuumque locum occupare videntur territoriorum propinquitas, contermina inprimis Poloniae Regna Hungariae Bohemiaeque, nec non antiquae, poſterioris inprimis, cum Polonia vniones, quas in praeſenti ſumma, qua fieri poteſt, breuitate indicare, arctiſſimus illorum cum argumento meo nexus poſtulare omnino videtur. *Primam* igitur, quam huc vſque reperire licuit, *Vnionem* inter ſe inierunt Caſimirus Poloniae ac Ioannes Bohemiae Rex. *Data ac*

conſcripta eſt in Wyſſegrado in Hungaria die S. Elyzabeth A. 1335. Continet potiſſimum media conſeruandi mutuam tranquillitatem et ſopiendi lites in vtroque regno. Quantum conſtat, nondum typis impreſſa extat. Deſcribere illam licuit quondam e Codice quodam MSto, cui erat titulus: *Corpus priuilegiorum incluti Regni Bohemiae et incorporatarum regionum Morauiae, Sileſiae, Luſatiae ac finitimarum Prouinciarum, de anno 1547. in fol.* Hanc excipere videtur illa, quae in *Melch.* GOLDASTI *Commentariis de Regno Bohemiae* (Edit. *Herm.* SMINCKII, *Francof. 1719. fol.) Tom. I. in App. Document.* p. 51. No. XXIX. extat ſub inſcriptione; *Recognitio et Renunciatio Caſimiri Regis Poloniae, quod nullum ius habeat nec ſibi competat perpetuo in Ducatibus Sileſiae et Poloniae, qui hic exprimuntur 1339.* Dictae renunciationis *Cracouiae in octaua Purificationis B. Mariae Virginis Anno Domini 1339.* et alius eiusdem argumenti, *Pragae 1536. die Beatorum Philippi et Iacobi Apoſtolorum* in ſcripturam redactae, apud GOLDASTVM *l. c. p. 99. No. XLIX.* extantis. Sigismundus Rom. Rex et Albertus Auſtriae Dux copiam, vti vocant, vidimatam conſcribi iuſſerunt et ſpecialibus litteris *Viennae 1426. d. 20. Mart.* datis, quae in ſupra memorato *Codice MSto* deprehenduntur, confirmarunt. Reperitur porro apud GOLDASTVM *l. c. p. 54.* No. XXX. *Liga Regis Poloniae Caſimiri, quod nullum matrimonium velit contrahere absque licentia Caeſaris, Pragae 1341.* Ex nigro autem *huius Ligae* conſtat, initam fuiſſe illam inter Caſimirum et Carolum Morauiae tunc Marchionem, poſtea electum Romanorum Imp. Et generatim potius promittit Caſimirus, ſe nihil ſine Caroli voluntate ſuſcepturum. Maxime memorabilis denique eſt ſaepius citati *Cazimiri Regis Poloniae cum modo memorato Carolo IV. Imp. vt Bohemiae Rege, perpetua Vnio et Confoederatio, nec non quomodo alter alterum in neceſſitatibus iuuare et ſibi ſuccurrere debeat, Pragae 1356. die Beat. Philippi et Iacobi Apoſtolorum* confecta, pariter nondum publici iuris facta. Promittunt et iurant in hoc foedere contrahentes mutua ſibi inuicem praeſtare auxilia et quidem Im-

perator

perator Casimiro aduersus omnem hostem ac speciatim aduersus Crucigeros in Prussia, vti et Bauaros in Marchionatu Brandenburgensi, similique modo Rex Poloniae Imperatori aduersus quosque, solo Rege Hungariae excepto, *prout* (sunt verba foederis) *in antiquis nostris litteris est expressum.* [a])

[a]) Vniones supra memoratas nondum vtpote typis impressas, quantum quidem constat, dabo aliquando in pleniori huius Opusculi editione.

§. IV.

Pristina haec foedera partim roborauit, partim nouis auxit alius Casimirus III. scilicet Poloniae Rex, cum Georgio Bohemiae Rege. Diuersis desuper in conuentibus fuit actum Bythoniae vel Bythomiae, scilicet duplici vice, et Glogouiae. Forte non erit incogruum, acta summamque instauratorum et auctorum horum foederum ex ipsis principum historiae Polonicae scriptorum CROMERI scil. et DLVGOSSI, ac prioris inprimis [a]) verbis hic describere. De duplici igitur conuentu Bythoniensi 1460. celebrato, reperiuntur apud CROMERVM, *de origine et rebus gestis Polonorum (Edit. Basil. 1568. fol.) Lib. XXIV.* p. 360. haec: *Insequentis vero anni (1460.) initio conuentum Poloni cum Boëmis egerunt Bythomiae Praemislao Cessinensium Duce controuersiam de Regno Boemico inter Reges componere, et offensiones inter Polonos et Silesios tollere studente. Sed tamen re infecta inde discessum est, nisi quod alius conuentus ad octauum Cal. Iulias in idem oppidum condictus est, cui Boemi non adfuerunt, offensi multis oppidorum et villarum suarum incendiis a Cazimiro Rege et Vxore eius, quemadmodum opinabantur, subornatis.* Enarrat in sequentibus CROMERVS, Casimirum de hoc rumore certiorem factum, Iacobum Dembenium Castellanum Malagostensem et Albertum Gorscium legatos ad Georgium misisse, addens, *qui se et verbis et prouocatione ad singulare certamen, militari more, purgarent. Qui cum iussa fecissent, nec inueniretur quisquam, qui asseuerare sparsum illum de Rege et Regina rumorem auderet, Georgius quoque nunquam id se de tantis Principibus credi-*

credidisse affirmauit. Sic ei satisfactum cum esset, peractus et intermissus conuentus, et pax foedus atque amicitia inter Reges constituta est, ea conditione, vt neuter alterius hostes vlla ope adiuuaret. Solus Pontifex Max. religionis caussa a Cazimiro exceptus est. De Masouia quoque et pro Ducibus eius orae, ne quid negocii Georgius ipsi facesseret, actum fuit. Adiectum, vt vno anno exacto, Reges ipsi confirmandae amicitiae gratia, ad Glogouiam congrederentur ibique de dote Elisabethae Reginae [b]) *non exsoluta inter se transigerent. Fuere autem ad eam rem missi a Cazimiro Stanislaus Ostrorogus Calissiensis Palatinus, Ioannes Brezius Luteci filius Pro-Cancellarius et Ioannes Dluglossus Canonicus Cracouiensis et custos Vislicensis.* Adductum iamiam conuentum Glogouiensem foedusque modo memoratum ibidem anno 1462. inter supra citatos Reges confirmatum et auctum, copiose satis describit idem CROMERVS *L. XXIV. pag. 367. seq.* ex quo, quae ad historiam foederis ibidem conclusi spectant, huc transcribere lubet: *Nouem deinde*, inquit, *dies dati colloquiis, quibus foedus ante annum Bythomiae ictum inter Reges confirmatum est: adiectum, vt ad mortem vtriusque esset stabile. De Osuencimo, Volco, Zatoria, Ziuecia, Seuero et Berualto munitionibus ac territoriis Boemus Polono ne facesseret negotium. Polonus vero a Boemo dotem Elizabethae Vxoris suae nomine vt ne repeteret. De iniuriis mutuis et controuersiis delecti vtrinque Proceres, alternis vicibus in Polonia et Silesia certis locis conuenientes, disceptarent. Proximus conuentus Regum, si quis deinceps futurus esset, vt in Polonia ageretur. Ad extremum societas contra Turcas inita, promissaque auxilia mutua, vtri bellum a barbaris illatum esset. De rebus Prussicis nihil actum, tergiuersantibus Crucigeris, successu belli et recepti Brodniciae elatis.* Quae hucusque e CROMERO adduxi, alia paulo ratione, exponit DLVGOSSVS in *Historia Polonica (Edit. Lips. 1712. fol.)* T. II. L. XIII. Is enim pag. 253. et sq. prioris *conuentus Bythomiensis* caussam, ministros ab vtroque Rege eo ablegatos, actaque circa feriendum foedus, fuse satis explicat, ac cur inter

Polo-

Polonicos Bohemicosque legatos conueniri haud potuerit, indicat. Quae fere omnia in CROMERO fruſtra quaeruntur. *Poſteriorem autem conuentum pro die ſanctae Catharinae in feriam tertiam cadentem an. 1460. celebratum* memorat, perſonasque tantum ab vtroque Rege ad illum miſſas nominat, cauſſas contra abrupti vna vice poſterioris huius conuentus eiusque inſtaurationis a CROMERO allatas plane omittit. Summam vero initi foederis pag. 261. hunc in modum deſcribit: *Vbi poſt plures tractatus, ſex diebus agitatos foedus inter Reges aequis conditionibus ſancitum et concluſum eſt, vt videlicet Reges, puram et inuiolabilem amicitiam inter ſe obſeruent, nec vnus aduerſetur alteri, per ſe aut gentes ſuas, nec ferat ſubſidium cuicunque perſonae eccleſiaſticae, aut mundanae, ſolo Romano Pontifice excepto. Et vt Reges perſonaliter poſt annum in feſto Circumciſionis Domini, aut ſi impedimentum legitimum interueniret, tum prima die Maii in maiori Glogouia conueniant, foedus concluſum perſonaliter icturi.* Amplior quoque CROMERIANA, quaeque ab hac multam differt, de *conuentu Glogouienſi* ibidemque actis extat narratio apud ſaepius citatum DLVGOSSVM ad an. 1462. pag. 290. ſq. *Edit Lipſ.* ſed vtriusque hic monſtrare differentiam praefixus haud permittit ſcopus. Summa vero foederis ibidem, poſtquam nouem diebus conſiliis vacatum erat, ſanciti ex recenſione eius pp. cc. haec eſt: *vt Turco terras et dominia Regni Poloniae inuadente, Bohemiae Rex auxilium Regno et Regi Poloniae, omnibus potentiis ferat: par ſuffragium, ſi Bohemia inuaſa a Turco fuerit, a Poloniae Rege habiturus. Vt ſuper caſtris Oſſwiadim, Volek, Zathor, Zywiecz, Syewior, Berwalth, Poloniae Regem, Bohemicus non inquietet, et ſuper dote, Regi Poloniae a Ladislao Hungariæ et Bohemiae olim Rege inſcripta, Bohemiae Regem, dum viuit, Polonicus non admoneat. Vt Diaeta, ſi eam inter Reges teneri contigerit, in ciuitate Regni Poloniae fiat.* Memoria quoque porro digna ſunt verba, quae ibidem deprehenduntur ſequentia: *Super rebus Pruthenicis, gratia quarum militares, et ciues Pruſſiae, cum Caſimiro Poloniae Rege Glogouiam acceſ-*

B *ſerant,*

ferant, nulla ordinatio habita eſt, quod Magiſter et Ordo Crucife-rorum, iuxta ſponſionem Regi Georgio factam, venire fefellerant. Caſtri et oppidi Brodnicenſis conquiſitione, pacis deſiderium in iis variante. Miſſis tamen litteris petebant rem in Sancti Iacobi diem differri, quod apud vtrumque Regem pro ludibrio acceptum eſt. Haec itaque de foederibus inter Caſimirum Polonum et Georgium Bohemum inſtauratis auctisque adduxiſſe ſufficiant. Dolendum ſane, eorum tabulas, quae forte adhuc ſuperſunt, nondum, quantum conſtat, publici iuris factas. Iſtae enim ſi adeſſent, de contentorum certitudine et genuina ratione demum plenius conſtaret.

[a]) Quoniam CROMERI narrationes ſunt breuiores, acta vtriusque conuentus *Bythomienſis* et *Glogouienſis* EIVS ſolum, ſed ſummam vtriusque foederis, ipſis et CROMERI et DLVGOSSI verbis exponere placuit.

[b]) Quum nimirum Caſimirus Eliſabetham Alberti II. Caeſaris filiam 9. Febr. 1454. Cracouiae, ſolenni ritu vxorem duceret, dos ei centum millia aureorum nummûm fuit promiſſa, ea conditione, vt ea penes Regem remaneret, etiamſi illa ſine liberis deceſſiſſet. Nec tamen ea numerata eſt, vnde tot exinde ortae lites. Rex vero ei loco muneris nuptialis prouentus annuos quinque millium marcarum in ſalinis Bochnenſibus et Velicienſibus conſtituit. Vid. CROMER. L. XXII. *ad an. 1454.* p. 342. *Edit. Baſil.* ſupra cit.

§. V.

His propter indiſſolubilem cum argumento meo in praeſenti illuſtrando, nexum, praemiſſis, ad ipſa nunc accedendum erit Auſtriaca cum Polonis foedera, quae duas in claſſes diuidere, illorum natura et indoles iubent. Reſpiciunt enim partim generalem eamque perpetuam ac haereditariam veluti vtriusque Partis prouinciarum vnionem, commerciorum libertatem mediaque finem imponendi litibus, cetera; vel ſunt praeſtationis ſingularis, mutua ſpeciatim auxilia aduerſus hoſtes certis conditionibus praeſtanda, quibus et interdum alia quaedam ſtipulata leguntur adiecta.

Conſti-

Conſtitutum ab initio erat, ſingula haec pacta ordine chronologico repraeſentare; ſed vt omnis euitetur confuſio, mutato conſilio, vnamquamque potius claſſem ſingulatim perſequi placuit.

§. VI.

Sicuti autem generatim omnium magnarum illuſtriumque rerum origines ſolent eſſe perobſcurae multisque impeditae difficultatibus; ita et temporis momentum, quo auguſta Gens Auſtriaca primum perpetuae Vnionis foedus cum Polonis coeperit ferire, nondum ſatis potuit expediri. Si quis tamen coniecturae locus ſit, occaſionem concludendi eiusmodi conuentiones forte praebuit, *foedus inter Albertum Auſtriae Ducem et Ludouicum Hungariae Regem Viennae d. 9. Ianuar. 1356.* ictum, quod reperitur in *Ant.* STEYRERI *Commentariis pro hiſtoria Alberti II. Ducis Auſtriae*, *et quidem* in *Addit. ad Cap. I. p. 186. et 187.* Eam enim illius omnino innuere videntur verba: *Praeterea cum praedicto fratre, Rege Vngarie propter amicitie et dileccionis ſue vinculum, conuenimus et concordauimus, quod contra auunculum ipſius inclytum Principem Dominum Kasmerium Regem Polonie nulli praeſtabimus auxilium.* Auſtriacorum cum Polonis foedera promouerunt deinceps dubio procul et illa, quae priores cum Bohemis pepigiſſe conſtat. [a])

[a]) inter illa prae reliquis eminent

1) *Foedus inter Imp. Fridericum III. et Georgium Regem Electoremque Bohemiae ſub dato Brunnae, vlt. Aug. 1459.* Reperitur illud duplici vice apud GOLDASTVM, in *Comment. de Regni Bohemiae Iuribus*, et quidem prima vice, *in Append. Document.* No. LXXXVI. *Tom. 1.* p. 173. *Edit. Schminckianae;* ſecunda vice in *Supplemento II. Act. Publ. in* GOLDASTO, *vt perhibetur, non extantium, et ex* BALBINO a Cel. SMINCKIO adiectorum p. 327.* No. LIII. ac ſub *die 11. Aug. 1459* apud LVNIG *in Reichs-Archiv. Part. Spec. Erſter Abtheilung 1. Abſatz No. XXX. p. 67.*

2) *Vnio haereditaria inter Maximil. Imp. tanquam Archi Ducem Auſtriae et Vladislaum Bohemiae Regem 1511.* ap. GOLDAST. l. c. T. II. p. 159

§. VII.

Primam vero eamque ſolemnem *Vnionem* veluti *haereditariam* iniiſſe cum *Caſimiro III. Poloniae Rege Albertus Archi Dux Auſtriae*, Frater Friderici III. Imp. memoratur. Eius memoriam, quantum hucuſque reperire licuit, inter Scriptores Polonos ſolus CROMERVS, Auſtriacorum vero nullus conſeruauit. Iſte ſiquidem CROMERVS *de Origine et Rebus geſtis Polonorum (Edit. Baſ. 1568. fol.)* L. XXV. ad ann. 1462. p. 370. poſtquam deciſionem litis de Piocenſi et Belſenſi ditione, quae in Comitiis Petricouiam ad XI. Nou. 1462. ideo indictis facta fuerat, deſcripſit, addit: *Cum Alberto Auſtriorum Archi-Duce foedus ictum* [a]) *ea conditione adiecta, ne Cazimirus dotem* [b]) *Elizabethae vxoris ſuae ab eo repeteret.* Mentionem porro illius faciunt praecipuaque exhibent contenta *Pacta, inter Ferdinandum I. Romanorum Regem et Sigismundum Auguſtum Poloniae Regem 1549. Rudolphi II. Imp. 1589. cum Sigismundo III. Matthiae Imp. 1613. vel 1615. cum Eodem Sigismundo III. et Leopoldi Imp. 1677. cum Iohanne Caſimiro* partim concluſa partim inſtaurata. Hinc eo magis mirum videri poſſit, qua de cauſſa *Albertinum* hocce *foedus* in *proximo*, quod poſt illud *1470. Fridericus III. Imp.* Alberti frater cum eodem *Caſimiro III. Rege Poloniae* iniit, ſilentio plane fuerit praeteritum, niſi forte hoc inimicitiae iam memoratorum Fratrum, inteſtinis bellis maxime exacerbatae, velis tribuere. Multi forſan mecum dolebunt, nec ipſam ſaepius memoratae *vnionis Albertinae formulam* [c]) nec *concluſionis certum annum* [d]) *diemque*, nec plures denique circumſtantias aut Scriptorum teſtimonia deprehendere licuiſſe.

[a]) Forſitan huic foederi anſam dedit eiusdem plane argumenti *perpetua illa Vnio*, quam *Linzii am Sonntage nach S. Andreas-Tag 1459 Albertus Archi Dux cum Georgio Bohemiae Rege firmauit.* Reperitur ea in GOLDASTI *Collectione variorum conſiliorum de Succeſſione et Iure haereditario familiae Regiae in Bohemiam, in Comment. Eius de Regni Bohemiae Iuribus* T. II. p. 155. Edit. SCHMINCKIANAE, et in LVNIGS *Reichs-Archiv. Part. Spec. Erſte Abtheilung No. V. p. 10.*

b) De controuerſia circa hanc dotem inter Polonos Bohemosque ſuborta vide ſupra §. IV. not. *b*.

c) Eius enim defectus ſi non adeſſet, accuratius longe illius contenta poſſem exhibere.

d) Dies ſiquidem plane non, nec ſatis accurate Annus 1462. e CROMERI verbis in hoc allatis pateſcere videtur.

§. VIII.

Praecipua vero huius *Pacti Albertini* cum *Caſimiro Rege* capita, qualia quidem in *Ferdinandi I. Reg. Rom.* et *reliquis* ſuperius adductis *foederibus Auſtriacorum Impp. cum Poloniae Regibus* initis recenſentur, haec ſunt:

1) Vt vnusquisque alterum omni honore, fide et amore inuicem proſequatur, ſitque adeo inter vtrumque paciſcentium eorumque regna, prouincias, ditiones *etc.* perpetua pax et mutua amicitia.

2) Ne alter alteri bellum denunciet, aut quacunque iniuria afficiat, vel inuadat, et quidem nec ipſe nec per ſubditos ſuos aut Vaſallos.

3) Vtriusque ſubiectis plenaria libertas agendi commorandique in vtriusque regnis, prouinciis, ditionibus *etc.* indeque pro lubitu iterum diſcedendi, permittatur.

Haec ſane capita omnes fere etiam efficiunt foederum formulas, quas pro ſecuritate publica aduerſus priuati belli licentiam, ante conditam perpetuam in Germania Pacem publicam, inter ſe inuicem inierunt Imperii noſtri Ordines, prout abunde ſatis perſpicere licet e Celeb. DATTII praeſtantiſſimo *Rerum Germanicarum de Pace publica Volumine.* Exigebat ſane illa neceſſitas ac eorum inprimis temporum ratio.

§. IX.

Sequitur *Foedus Friderici III. Imp.* cum *Eodem Cazimiro Poloniae Rege* 1470. concluſum, quod licet, vti mox patebit, a Rege et Senatu Poloniae non fuerit probatum; vigorem tamen ſuum poſtea, quod inferius demonſtrabimus, nactum videtur, dignumque

adeo, cuius memoria seruetur. Tria potissimum hucusque clarissima de illo testimonia DLVGOSSI scil. CROMERI et *Gerhardi de* ROO inuenire datum fuit, quae huc transcribere multis forte haud erit ingratum. DLVGOSSVS nimirum in *Historia Polonica* L. XIII. ad an. 1470. T. II. p. 455. et 456. *Edit. Lips. Venit etiam,* inquit, *in nouam Ciuitatem Korczin ad Casimirum Poloniae Regem Imperialis Nuncius Raphael Liesczinski, genere Polonus miles, de stirpe familiaque Wyenyawa in pulchra Comitiua, annis pluribus in obsequiis Caesareis et familiaritate commoratus, et ob fidei atque virtutis specimen Caesari inter paucos charus, magnis periculis aegre euitatis, quae sibi Hungariae Rex Matthias, in omnibus fere passibus et locis, tetenderat, et ob quae nemo ex Australibus Baronibus legationem ipsam assumere volebat. Differens in summa, quod Fredericus Romanorum Imp. licet se amicissimum Matthiae Hungariae Regi annis superioribus gessisset, et res suas pro adipiscendo Bohemico regno parum ducens, nunciis et litteris apud sedem Apostolicam promouere personali etiam transitu in vrbe, subinferendo in Casimirum Poloniae Regem, et filios Eius, quasdam obtrectationes, et dedecora adinuisset;* In sequentibus fusius exponit DLVGOSSVS, qua quidem ratione ad conciliandos inter se Fridericum Imp. et Matthiam peculiaris Viennae Conuentus fuerit institutus, quaeque ibidem acta, et tunc pergit: *Is Raphaël nomine Caesareo verba faciens, commemorata legatione Stanislai Visliczki, astruebat Caesarem, quanquam a multis Regibus, et Principibus Catholicis in foedus, amicitiam et affinitatem peteretur, foedus tamen, affinitatem et amicitiam Casimiri Poloniae Regis, omnium Regum et Principum affinitatibus et foederibus, ex multis respectibus praetulisse. Proinde instabat, vt Poloniae Rex Casimirus mitteret consiliarios ad Caesarem, pleno mandato suffultos, foedus et amicitiam noua liga confirmaturos. Subiecit et idem Orator, quatenus Rex Poloniae caueret sibi a Rege Hungariae Matthia et periculo suo Caesareo attento, nunquam in foedus et fidem secum veniret: dolis, astutiis, ingeniis, si secus ageret, illaqueandus. Auditus est*

Caesa-

Caesareus is Nuncius benigne, et liberalibus donis onustus remissus. Remissi sunt et cum eo duo Palatini, Derslaus de Rythwiani Sandomiriensis et Stanislaus de Ostrorog Calissiensis. His mandatum, vt sub aequis conditionibus, foedus cum Frederico Imp. Rom. affinitatemque actiue et passiue iungant, dando videlicet filiam Poloniae Regis Imperatori, si expetierit, aut Maximiliano suo vnico filio, et recipiendo filiam suam Cunegundim Wlatislao filio Poloniae Regis primogenito, vt quoque Caesar pro consequendis Regnis Hungariae et Bohemiae filios Casimiri Regis fideliter adiuuet, et de omni iure dictorum regnorum excedat; De *foedere* hoc *ipso* concluso ita differit *Noster*, Tom. et Lib. cit. p. 460. *Posnaniam in Monasterium Corporis Christi transit, (Casimirus) ibique Derslaum de Rithwyany Sandomiriensem, et Stanislaum Ostrorog Calissiensem, Palatinos, a Caesare Frederico, foedus tantummodo ictum afferentes, offendit, quod quia parum aequis conditionibus constabat scriptum, non probauit, veritus illius tenore ius filiorum suorum in Hungariae et Bohemiae Regnis, infectum iri, cum in foedere Caesareo, quo se Hungariae Regem titulabat, cautum erat, ne alter in alterius occupationem Regnorum aspiraret.* DLVGOSSVM excipit CROMERVS, qui in Opere suo *de Origine et Rebus gestis Polonorum* L. XXVII. p. 398. 99. cit. *Edit. Basil.* huius conuentionis historiam et contenta sequentem in modum tradit: *Venit*, inquiens, *eodem (1470.) Legatus Imp. Friderici Raphaël Lescinius, Eques Polonus, verum complures annos in ministerio Imperatoris versatus, eique inter paucos charus: homo vanus et magni animi, qui parui fecerat difficultatem itineris, pericula et insidias a Matthia Rege comparatas, quarum ergo Theutoni legationem illam defugerant. Is igitur commemorata Friderici in Matthiam singulari, et paene paterna beneuolentia, compluribusque officiis et beneficiis, inter quae et illud erat, quod eius opera et commendatione cum nonnulla Cazimiri sugillatione coniuncta Pontifex Matthiae Regnum Boemorum detulisset, de ingratitudine et superbia eius questus est*, qua fusius exposita, haec addit: *Porro qua de re Cazimirus Stanislaum Visli-*

Vislicium Oratorem ad Fridericum misisset, hoc est, de foedere et amicitia, ipsum quoque Fridericum idem cupere; quin etiam ad affinitatem cum eo iungendam propendere: mitteret igitur Cazimirus his de rebus ad ipsum Oratores cum luculento mandato. Iucunda fuit ea legatio Regi. Nec mora Derslaus Rithuianius Sendomiriensis et Stanislaus Ostrorogus Calissiensis Palatini ad Fridericum proficisci iussi, vt accipienda Vladislao Regis filio Kunegundi filia Friderici vxore, dandaque vicissim ipsi, aut certe filio ipsius Maximiliano vna de regiis filiabus, affinitatem vltro citroque, et foedus contra Matthiam iungerent: quo foedere diserte cautum esset, vt Fridericus adiuuaret Cazimiri liberos in consequendis Vngarorum et Boemorum regnis. Verum ii foedus modo reportarunt. Quod tamen Rex cum Senatu non probauit, propterea quod in eo Fridericus se Regem Vngariae scripserat: Quae res regiorum liberorum iuri derogatura esse videbatur. Conuenerat autem, ne vterque ad alterius regna ac dominatus aspiraret. Reportarunt enim promissionem Imperatoris de exsoluenda terna parte dotis, quae Elizabethae Cazimiri vxori ex Austria debebatur. Gerhardus tandem *de* ROO in *Annal. Austriacis (Edit. 1592. fol.)* L. VIII. ad an. 1470. p. 297. omnium breuissimus est in describendo hoc pacto. *Siquidem quare*, inquit, *alienato iam a Matthia animo* (Frider. Imp. scil.) *legatum ad Casimirum Poloniae Regem miserat Raphaelem Lescinium, Equitem Polonum, sed diu in aula sua versatum. Is graues de Matthia querelas exposuit*, (iis specifice recensitis) haec addit: *Quibus rebus motum Fridericum diutius cum eo amicitiam nolle, et ad foedus Polonicum respicere, quod si affinitate aliqua firmari placuerit, non reprobaturum. Casimirus, qui et ipse Boemiae regnum ad filium suum maiorem natu Vladislaum trahere nitebatur, hac Caesaris legatione exhilaratus, suos quoque legatos Viennam mitit fitque inter ipsos foedus, quod Polonis quibusdam non satis probatur, qui aegre ferebant, Hungarici Regni titulum a Friderico vsurpari, cuius successionem suis deberi Regibus contendebant. Inter foederis capita et illud erat, ne vterque ad alterius regna ditiones-*

ditionesque aditum ſibi ſtrueret, Fridericus quoque tertiam dotis partem, quae Eliſabethae Ladislai Regis ſorori debebatur, certis penſionibus ſoluturum ſe pollicebatur. Ex tribus hiſce teſtimoniis ſat grauibus patet quidem, re ipſa initum fuiſſe hocce foedus inter Imperatorem et Regem Poloniae, ſed nec dies nec omnia eaque genuina ipſius contenta explicantur. Eluceſcit porro exinde a Poloniae Rege et Senatu illud haud fuiſſe probatum, [a]) quo tamen non obſtante, iſtud in ſequentibus Auguſtae Domus Auſtriacae cum Polonis, a tempore Ferdinandi I. Imp. ictis conuentionibus, non modo memoratur, ſed et de nouo confirmatur, vnde coniicere licet, nihilo ſecius illud ſubſecuto tempore a Polonis fuiſſe corroboratum.

[a]) Maior enim hic DLVGOSSO et CROMERO fides, ob allatas ſimul rationes, habenda videtur quam *Gerardo a* ROO, qui hoc de parte ſolum Polonorum, in fauorem forte Auſtriacorum, adſerit.

§. X.

Quum vero *ipſam celebratiſſimi huius pacti formulam*, quae, quantum conſtat, nondum typis impreſſa extat, [a]) quondam e *Miſcellaneorum dignioris notae, ſtudio Henr. a* SCHOELLEN *Thorunenſ. Boruſſ. in Polonia Menſe Iulio 1643. colligi coeptorum, T. II. MSt.* deſcribere facta fuerit poteſtas; certiora omnia exinde de ipſo nunc dabo, contentaque genuina exhibebo. Ex modo adducta igitur formula patet, concluſum foedus, a parte Polonorum, in *Brecz die decima Menſ. Octobr. Anno Domini 1470.* Contenta illius ſunt:

1) in verboſo ſatis prologo, officia imperantium in colenda Pace promouendaque ſubiectorum ſalute, multis verborum ambagibus deducuntur.

2) Qua de cauſſa praeſens perpetuum foedus ſincerae amicitiae paciſque inter vtrosque paciſcentes, eorum regna, principatus et dominia praeſentia et futura concluſum.

3) Mutua promittuntur auxilia in omnibus, quae Imp. et Regis eorumque liberorum haeredumque honorem, dignitatem, ſtatum et augmentum concernunt.

4) Nemo quicquam faciat vel cupiat, vel moliatur, quod in alterius eiusque haeredum, regnorum, principatuum, dominiorum ſubditorumque vergere poſſit detrimentum.

5) Nullus alteri, ipſius liberis, haeredibus, regnis principatibus, dominiis aut ſubditis bellum inferat, vel damnum aliquod afferat, nec afferri permittat, ſed potius contra quoscunque damna inferentes totis viribus aſſiſtat, nec quieſcat, donec illi cum debita damnorum reſtitutione, poena promerita fuerint caſtigati.

6) Nemo alterius ſubditos deficientes et ſeditioſos ſuſcipiat, protegat, foueat aut quouis modo iuuet, ſed potius contra tales infideles et rebelles alteri aſſiſtat, eosque Dominiis ſuis excludat.

7) Si tamen inter paciſcentes eorumque liberos, haeredes, regna, principatus, dominia aut ſubditos Actio aliqua, realis, perſonalis, vel criminalis exoriatur; nullus tamen contra alterum, nec ſubditi contra ſubditos quicquam attendere, nec ſibi propria auctoritate ius dicere aut vlciſci, ſed exorta Actio via iuris debet decidi dirimique.

8) Denique vterque paciſcentium ſpondet, hanc conuentionem ſi praeſentes aliquando conueniant, ſolenni firmare iuramento.

Haec itaque contenta ſiquis cum illis, quae ſuperius e DLVGOSSO, CROMERO et *Gerardo a* ROO allata ſunt, conferat, inſignem facile deprehendet differentiam. Nec vllum in ipſa huius Conuentionis formula exiſtit veſtigium de exſoluenda terna parte dotis Eliſabethae, vti quidem perhibent CROMERVS et *Gerardus a* ROO. Quod ipſum ſatis probat, multum omnino intereſſe, ipſas ſi inſpicere datum ſit pactorum tabulas.

[a]) Publici eam iuris facere conſtitutum mihi eſt in pleniori huius Commentationis Editione

§. XI.

Friderici III. filius et in imperio ſucceſſor Maximilianus I. quo tutiorem poſt obitum terrarum Auſtriacarum poſſeſſionem Nepotibus

potibus ſuis Carolo Ferdinandoque relinqueret, vicinorum Regum Poloniae, Vngariae, Bohemiaeque foederibus et affinitate firmare, eoque citius hunc aſſequi finem poſſet, conuentum quendam illorum promouere ſtatuit. Multis igitur legatis vltro citroque misſis, tandem d. 16. Iul. 1515. in campis apertis prope arcem *Trautmansdorff*, conuenerunt cum *Imperatore Vladislaus II. Rex Vngariae*, *Sigismundus I. Rex Poloniae*, *Ludouicus I. Rex Bohemiae*, proximo die ſolemni apparatu Viennam ingreſſi. [a]) In hoc Conuentu, inter diuerſa ſpectaculorum genera et alia bene multa publicae laetitiae ſigna, poſt varias conſultationes, de bello potiſſimum aduerſus Turcas ſuſcipiendo ideoque Legatis ad Venetos mittendis, pace quoque inter Sigismundum et Moſchos conciliandа, duo admodum illuſtria inter Imperatorem et praedictos Reges concluſa fuerunt foedera, generale alterum, alterum ſpeciale, nimirum matrimoniale, [b]) quod poſterius tamen, cum ſit particulare ac ſingulares quasdam ſimul contineat praeſtationes, vt eo accuratius praeſcriptum mihi ordinem ſequar, *ſecundae Auſtriacorum cum Polonis foederum claſſi* reſeruabo. [c])

a) Conuentum hunc egregie prorſus deſcribit *Io.* CVSPINIANVS peculiari Commentatione, cui titulus: *Diarium de congreſſu Maximiliani et trium Regum etc.* apud FREHERVM *Scriptor: Rerum Germ.* (*Edit. B. G.* STRVVII *Arg. 717. fol.*) T. II. p. 594. ſqq. Pariter copioſe ſatis de illo egit *Io. Iac.* FVGGER *in Spiegel der Ehren des Hauſes Oeſterreich*, *Edit. Simon. de* BIRCKEN L. VI. Cap. XVII. pag. 1323-1337. Solemnem vero Viennenſem ingreſſum ſpeciatim pluribus exponunt CVSPINIANVS l. c. p. 603. ſq. et FVGGER l. c. p. 1325. ſqq.

b) Contractus hic Viennae d. 22. Iul. 1515. concluſus, duplicis matrimonii ineundi cauſſam continet, ſcilicet inter Ludouicum Vngariae Regem et Mariam Caſtellae quondam Regis Philippi filiam, nec non inter Maximilianum Imp. et Annam Vladislai Vngariae Regis filiam, hac tamen lege adiecta, vt ſi alter ex Nepotibus Maximiliani Imp. Carolus ſcil. Burgundiae Hiſpaniarumque Princeps, vel Ferdinandus Archi-Dux Auſtriae praefatam Annam, intra anni ſpatium a die praeſenti, in vxorem ducere vellet, dictus Contractus inter Maximil. et Annam

pro inualido, immo prorſus nullo debeat haberi. Hoc vero non eueniente, intra trimeſtre poſt et ſupra annum, a die praeſentis contractus computando, idem per cohabitationem coniugalem inter ipſos conſummandus ſit.

c) Proprie ſaltem ex illo ea ad argumentum, de Foederibus inter Auſtriacos et Polonos ſpectant, quæ in gratiam duplicis huius ineundi matrimonii, in hoc Contractu promiſit Sigismundus Poloniae Rex.

§. XII.

Generalis autem §. praecedente memorati foederis inter Maximilianum I. Imp. et dictos Reges firmati ipſam, quum non reperire potuerim formulam, eius concluſionem ac contenta verbis tantum CVSPINIANI l. c. p. 610. obuiis [a]) hic deſcribere ac exhibere cogor. Sunt autem illius verba ſequentia: *Vigeſima octaua die, de nocte poſt coenam, hora paene ſeptima conueniunt Reges Caeſarem (iam enim de ſingulis erat concluſum) et poſtquam tribus ſellis locati erant, in quarum medio Caeſar, in latere Ludouicus, poſt duo Cardinales, dehinc caeteri Principes et conſiliarii reſidebant Caeſar (vt eſt humaniſſimus) allocutus Reges ſuauiſſimis ſermonibus, tandem iuſſit Cuſpinianum pronunciare, quod decreuiſſet. Cuſpinianus debita inclinatione flexus, ad latus Regum ſtans, alta voce, latina et germanica lingua, vt ab omnibus intelligeretur, in hanc formam proclamauit, cunctis bene audientibus: De Mandato Sacratiſſimae Caeſareae Maieſtatis et Sereniſſimorum Vladislai et Ludouici Hungariae et Boemiae, ac Sigiſmundi Poloniae Regum, notum ſit vniuerſis, qui ad laudem Omnipotentis Dei et glorioſae Virginis Mariae et totius Curiae coeleſtis, nec non ad incrementum et conſeruationem totius Reipublicae Chriſtianae, et praecipue regnorum, dominiorum, et ſubditorum ſuorum, inter ſe inierunt, contractarunt, concluſerunt, et confirmarunt, veram, ſynceram et inuiolabilem atque firmam concordiam, amicitiam, vnionem et intelligentiam confoederationis, perpetuo et indiſſolubiliter duraturam, ad mutuam protectionem et defenſionem contra eorum hoſtes quoscunque et praeſertim contra hoſtes infideles, et hoſtium ſuorum futurorum*

vorum perniciem. Et quo magis haec Vnio inter eos ſtabiliatur, vltra neceſſitudinem, quae alias inter haereditates eorum intercedit, etiam nouam affinitatem et connubium inter ſe et nepotes et liberos eorum contraxerunt. Quod felix fauſtumque Maieſtatibus praefatis, regnis et dominiis eorum ſit, Amen!

[a]) Quae CVSPINIANVS *latine* tradit, *germanico idiomate* leguntur apud FVGGER l. c. p. 1336. ſub No. 17. Ea vero huc tranſcribere ſuperuacaneum eſſe duxi.

§. XIII.

Ex quo igitur, per connubium Annae ſupra memoratae, Vngariae Bohemiaeque Regna conſecutus fuit Ferdinandus I. Imp. Auſtriae Archi-Dux, pro maiori illorum ſecuritate ac promouendis augendisque magis Auguſtae Domus ſuae commodis, *ampliſſimam cum Sigismundo Auguſto Poloniae Rege die 2. vel 16. Menſ. Iulii 1549.* iniit *perpetuam haereditariamque Vnionem.* Inueni illam latino idiomate ſcriptam, ac confirmationi eiusdem a Carolo V. Imp. profectae inſertam, in *Collectaneis* ſupra citatis SCHOELLIANIS MSTIS, vnde vtramque, et vnionem et illius confirmationem deſcribere licuit. An vero in hac lingua conuentio haec aut eius confirmatio typis vnquam fuerit impreſſa, omni hucuſque adhibita ſolertia, fruſtra quaeſiui. Germanicam contra, licet ipſius tantum foederis verſionem, eamque non adeo accuratam ſed mancam hinc inde, ſpeciatim circa titulos paciſcentium, exhibet LVNIG. in *Codice Germaniae Diplomatico* T. II. pag. 39 - 50. ſub hac inſcriptione: *Compactata zwiſchen dem Roemiſchen Koenige Ferdinando I. als Koenige in Hungarn und Boehmen, auch obriſten Herzoge in Schleſien, mit Koenig Sigismundo Auguſto in Polen dd. 2. Iul. 1549.* Euolui praeterea quotquot reperire potui Rerum Polonicarum, nec non a Carolo V. et Ferdinando I. Impp. ſpeciatim anno 1549. geſtarum Scriptores; verum nec concluſi celeberrimi huius pacti, nec illius confirmationis vllum deprehendere potui veſtigium. Primam eius et confirmationis ipſius mentionem factam offendi, in clariſſimo illo inter Ru-

 dol-

dolphum II. Imp. et Sigismundum III. Poloniae Regem firmato foedere, inferius fusius exponendo. Vtriusque porro, et conuentionis et confirmationis, instauratio, antiquorum Austriacos inter et Polonos pactorum sub Matthia Imp. 1613. vel 1615. facta, vti mox patebit, sed prioris tantum conuentionis scil. memoriam, Leopoldi Imp. cum Iohanne III. Poloniae Rege 1677. modo adductorum foederum renouatio, conseruarunt.

§. XIV.

Quem mihi praescripsi, ordo nunc poscit, vt quoque *illustrissimae* huius *Vnionis inter Ferdinandum I. Imp. et Sigismundum Augustum Pol. R.* conclusae exponam argumentum. Primum igitur repetit, sub initium, contenta foederum Alberti Archi-Ducis et Friderici III. Imp. cum Casimiro Rege initorum fusiusque ea explicat. Ita enim speciatim momento V. supra §. X. adducto, adiectum legimus:

> ne quis paciscentium ad alterius (haereditaria) regna, principatus et dominia aspiret vel anhelet.

Dein noua, quae sequuntur momenta deprehenduntur addita, nimirum:

1) Pro maiori quiete et bonae vicinitatis conseruatione, amicitia et beneuolentia, statutum, vt quae mutua erga se inuicem praestanda sint auxilia, in vtriusque arbitrio sit positum.

2) Vt vtrique liceat, in alterius terris prouinciisque, praescitu tamen Eius, milites voluntarios conscribere, educere et arma exportare, hac tamen cum limitatione, nisi alter proprio sit impeditus bello.

3) Hostibus contra id haud liceat, nec vllus praestetur fauor, auxilium aut consilium, nec protegere illos vel fouere eisque assistere sit permissum, vbi simul denuo, licet breuiter, repetuntur ea, quae supra §. X. sub No. 5. et 6. e *Foedere Fridericiano et Casimiriano* adduxi.

4) Speciatim promittit Sigismundus Augustus Poloniae Rex [a]) quod duobus in casibus Iohannis, olim Hungariae Regis, Filio,

lio, Nepoti ſuo vel ſuis, nec conſilio nec auxilio aſſiſtere velit, quando ſcilicet,

a) Is, vel ſui, bellum aliquod contra Regem Romanorum de Regno Hungariae ſint excitaturi, aut

b) Is vel ſui (quoniam Rex Romanorum promiſit, ſe ipſi de his, quae illi tanquam haeredi bonorum paternorum, vel ex pactis legitimis debentur ſatisfacturum, ac ideo Fratrem Imp. ac ſe Regem Arbitros amicabiles elegerit,) quas Arbitri aequas iudicauerint conditiones, accipere cum ſuis detrectauerit. [b])

5) Vtriusque Partis ſubditi libero et ſecuro gaudeant viarum et fluminum publicorum, ac commerciorum vſu, nullis interdictis arreſtis aut repreſſaliis impediendo, tranſitu etiam per vtriusque regna, prouincias etc. mutuo ac aeque ſecuro, fideque publica munito.

6) certa praeſcribitur forma dirimendarum litium, quae forte tam inter vtriusque partis ſubditos, quam inter ipſos Reges queant exoriri. Hocce autem momentum, quod ſumma cum ſolertia eſt compoſitum, pluribus conſtat caſibus, quos hic ſigillatim exhibere omnino videtur neceſſe. Ita conuenit

a) vt Actor ſemper ſequatur iudicium Rei, et in perſonalibus, iniuriarum, violentiarum, ſpolii ac ſimilibus Actionibus, Iudex ſummarie, ſine dilationum et exceptionum admisſione, de ſimplici et plano; in realibus contra, ſecundum vtriusque ditionis conſuetudinem, ac ita quidem iudicet, vt quilibet, citra dilationem, iuſtitiae executionem obtinere quaeat. Quod ſi

b) alter foederatorum contra alterius prouinciam aut communitatem aliquam, vel viciſſim prouincia, communitas vel priuati ſubditi vnius contrahentium, contra alterum ex illis vel eius prouinciam, ſeu communitatem priuatas Actiones inſtituere velint; tunc cauſſae huiusmodi coram alterius paciſcentium, ſub quo Pars rea degit, Conſiliariis

ſeu

ſeu commiſſariis, per eundem, ſecundum Partium condi- tionem et cauſſarum exigentiam, non minus ſeptem num- mero deſignandis, ſummarie audiri, et vel amicabiliter componi, vel iure determinari et executioni demandari debeant. Porro

c) ſi inter ipſos Reges foederatos, regna et prouincias illo- rum, ratione metarum, terminorum, commerciorum ſeu quarumlibet aliarum, tam veterum, quam nouarum cauſſa- rum, controuerſiae ſuboriantur, tunc is, qui, vel cuius regnum aut prouincia ius vel querelam praetendit, alium per nuncios vel per litteras, amicabili modo, certiorem reddere, ac pro tollendo grauamine admonere debet. Hoc tamen

d) modo non procedente, quilibet contrahentium, intra duo- rum menſium ſpatium, a facta amicabili requiſitione tres conſiliarios [c]) ad locum per partem laeſam vel grauatam, deſignatum, mittere debet, qui omnem adhibeant diligen- tiam, quo controuerſiae et grauamina, amicabili finiantur compoſitione. Ea vero non ſuccedente, Pars laeſa ſiue agens, coram iſtis VI. Conſiliariis, ſtatim ipſo die iuridice Actionem ſuam inſtituendi habeat poteſtatem. Hinc

e) fuſe ſatis forma Actionis inſtituendae, et proceſſus in toto hoc iudicio arbitrario [d]) obſeruandi praeſcribitur. Quodſi autem

f) Conſiliarii vtriusque Partis in ferenda ſententia, ſiue inter- locutoria ſiue definitiua, conuenire nequeant, tunc toties quoties neceſſe fuerit, Arbitrum communi voce legant, vel per quamlibet conſiliariorum partem, duabus idoneis perſonis propoſitis, ex iisdem ſorte conſtituant, quo ſen- tentiam, quae ei quam maxime aequa et conſona iuri vi- deatur, amplectetur. [e]) Quidquid vero

g) per ſaepe adductos Conſiliarios, ſeu maiorem illorum par- tem, ſeparatim vel per eos et Arbitrum coniunctim, decre- tum,

tum, id ratum firmumque maneat, ac ſtatim executioni, nec locus Appellationi, Supplicationi, Reſtitutioni in integrum aliiſque eiuſmodi remediis detur. Omnes porro

h) iſti conſiliarii vtriuſque Partis et Arbiter, ab obedientiae iuramentis ad hunc actum ſunt abſoluendi, et

i) ſi pendente lite vnus moriatur, alius ſtatim, prout ad quemlibet paciſcentium pertinebit, ſurrogetur. Ipſi quoque

k) hi conſiliarii a conuenta proceſſus forma nec recedant, ac ſpeciatim nec terminos prorogandi gaudeant poteſtate, niſi in caſu, quo teſtes a Partibus ſint producendi, qui tamen, quantum fieri poteſt, omnes vno die et termino ſunt audiendi, ac publicatis atteſtationibus, non niſi vnica ſcriptura a qualibet Parte recipiatur.

7) Ad maiorem vtriuſque foederatorum regnorum, prouinciarum et dominiorum ſecuritatem conuenit, ne vllus ipſorum diffidatores, hoſtes, homicidas, raptores, profugos, rebelles ſubditos, nec per ſe, nec per officiales, aut hoſpitio aut in totum recipiat, iuuet, aut foueat, ſed ſtatim iuſtitiae tradat. Huius momenti conuentioni contrauenientes vtriusque partis officiales vel ſubditi, ſi deſuper conuicti ſint, capite plectantur.

8) Remedia contra diffidationes, latrocinia, rapinas, forma porro proceſſus contra horum criminum reos inſtituendi, poenae illis infligendae, expenſae ideo erogandae, nec non ſumtus iis, qui auxilia contra praedones et raptores praeſtant aut itinera, ob iuſtitiae hunc in finem adminiſtrationem, inſtituunt, impendendi, tutela pariter his praeſtanda, indicantur et praeſcribuntur. Sed haec omnia hic exponere, longum nimis foret, quum inſignem nobiliſſimi huius foederis efficiant partem, et parum inſuper prodeſſet. Vnicum tamen locum adducere, forte non erit incongruum: *Caſu ſcilicet etiam, quo in alterius foederatorum regno et ditione, ali-*

 quis

quis e Nobilibus, vel alius ſtudio honeſtatis et ſupprimendorum publicorum ſceleratorum, aut iuſſu magiſtratus, aut motu proprio publicos praedones perſequeretur, ne id illi a quoquam vt inhoneſtum exprobretur, nec talis exprobratio vllum honoris diſcrimen, vel praeiudicium afferre queat, ſed eiusmodi exprobrator ad reuocationem huius iniuriae, vna cum aliqua carceris poena, et reſtitutione expenſarum, ac inſimul laeſum vt roget, quo ipſi iniurioſam talem iniquitatem propter Deum remittere velit, cogi debet.

9) Moneta in vtriusque Partis regnis, ditionibus etc. nonniſi bona iuſtaque recipiatur, reiectis illegitima, praua et reproba. Si quaeſtio deſuper oriatur, aſſenſu ordinum regnorum, prouinciarum etc. Commiſſarii vtrinque conſtituantur, qui eas teneant ineantque rationes, quo eadem bonitate ac valore vtrobique moneta cudatur, et diuerſarum monetarum iuſtum pretium ſtatuatur, pro valore eius interno.

10) Id quoque de ſale ex vnicuiusque in alterius regna, ditiones etc. educendo, ſeruare conuenit.

11) Quodſi tamen vel de moneta et ſale coniunctim, vel de priori aut poſteriori ſpeciatim, deputati Commiſſarii transactionem conficere nequeant, tunc vnicuique paciſcentium ſaluum liberumque ſit, et de moneta et de ſale ſtatuendi, quod cuiusuis ac regnorum prouinciarumque ſuarum neceſſitas vtilitasque exegerit.

12) Haec omnia Ferdinandus et Sigiſmundus Auguſtus confirmant, et verbo regio bonaque fide, loco iuramenti, ſancte ſemper et inuiolabiliter ſeruare promittunt.

13) Reſeruantur [f]) tamen ab hoc foedere

a) a parte Ferdinandi Imp. Pontifex Max. cum ſede Apoſtolica, nec non frater ipſius Carolus V. Imp. Sacr. Rom. Imp. ac Turca per praeſentes quinquennales et futuras, ſi quae interceſſerint, inducias

b) a parte

b) a parte Sigismundi Regis pariter Papa, sedes Apostolica et Turcarum Princeps.

[a]) Hoc momentum in sequentibus huius foederis instaurationibus, speciatim de 1589. 1613 et 1677. infra adducendis, est omissum.

[b]) Caeso siquidem Ludouico Hungariae et Bohemiae Rege ad Mohatzium 1526. Hungarorum Pars Io. Zepusiensem, Stephani filium, Palatinum Transyluaniae Regem nominabat; Pars Ferdinandum Austriae Archi-Ducem, ob matrimonium cum Anna Ludouici sorore, eligebat. Vid. CHYTRAEI *Chronicon* L. XII. p. 355. (*Edit. Lipſ.* 1593. fol.) Hinc grauissimum inter vtrumque exoriebatur bellum, quod descripsit *Io.* ZERMEGH peculiari, sed raro admodum libello, cui titulus: *Historia rerum gestarum inter Ferdinandum et Iohannem Hungariae Reges.* Amst. 1662. in 12mo. Conferri etiam de hoc bello potest B. G. STRVVII *Corpus Hist. Germ. Period. X. sect. IV. p. 1009.* §. 38. sq. nec non *Io.* STRAVCHII *Diss. Iuris publici prima* §. XXIV. Compositum quidem, teste IOVIO in *Historia sui temporis* L. XXXIX. *T. III.* p. 226. (*Edit. Basil.* 1567. in 8uo.) an. 1538. hunc in modum, vt sua quisque retineret, Iohannem Ferdinandus Regem agnosceret, illo contra fatis functo, Ferdinandus totius Pannoniae imperio potiretur. Sed mortuo 1540. Iohanne Cibinii, Vngarisque filio Eius, adhuc infanti, Stephani I. coronam statim post mortem Patris, imponentibus, recruduit bellum, cuius tamen fata exponere huius non est loci. Interim vid. STRVV. l. c. *sect. V, p. 1084.* §. *5.* IOVIVS l. c. L. XXXIX. p. 234. 240. SLEIDANVS *de Statu Relig. et Reip. sub Carolo V. L. XIV. p. 391.* (*Edit. Argent. s. a. in 8uo mai.*)

[c]) Isti Consiliarii per subsequentia foedera, inprimis illa de an. 1589. 1613. et 1677. e proceribus Regnorum Hungariae, Bohemiae, nec non Morauiae, Silesiae et vel ex aliquibus eorum, prout negotium ad aliquam harum prouinciarum pertineat, vel ex omnibus simul, pro necessitate et grauitate negotii, ab vna, Regnoque Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae, ab altera parte legi debent.

[d]) Eadem fere hic occurrit Processus ratio, quae in plurimis Austregarum conuentionalium iudiciis, inter Ordines S. R. I. statutis, solet obseruari. Hocce igitur exemplum monstrat, et inter liberas gentes earumque imperantes, locum inuenire has ita dictas Austregas conuentionales.

[e]) Eiusmodi Arbiter quondam in Germaniae iudiciis Austregarum conuentionalium dicebatur *Obmann.* Videatur egregia *Georg. Lud.*

BOEHMERI Diss. de *Superarbitris vulgo Obmannen, ex Iure Romano, Canonico et Germanico explicata.* Gottingae 744. *in 4to.*

f) Reseruationes hae, paucis mutatis, in sequentibus foederibus de an. 1589. et 1613. mox illustrandis iterum occurrunt, sed in illo de an. 1677. non deprehenduntur amplius.

§. XV.

Memoria porro quam maxime digna est foederis modo explicati confirmatio, a) quam Carolo V. Imp. debemus, et in qua, vt superius a me fuit indicatum, Latina istud foedus lingua deprehenditur. Confirmauit vero Carolus V. Imp. *Bruxellis d. 12. Dec. 1549.* saepius memoratum *foedus Ferdinando-Sigismundeum* b) tam pro persona sua, quam pro regnis, prouinciis et dominiis eius haereditariis, c) simul promittens verbo suo Caesareo, et bona fide, se huiusmodi tractatum et confirmationem omniaque ac singula in iis contenta et expressa, quatenus ipsum concernant, inuiolabiliter obseruare et adimplere, et in nulla re illis contrauenire velle, in cuius maiorem fidem Imperator hanc confirmationem propria subscriptione et sigilli Caesarei appensione muniuit.

a b) Nec hanc confirmationem, nec insertam illi foederis formulam in Romano sermone typis impressam, nec vtriusque memoriam in vllo Scriptore inuenire, sed tantum ex *collectione MSta* SCHOELLIANA saepius excitata, describere fuit datum.

c) Haec verba quam maxime notatu digna, dum consensus Principum S. R. I. Electorum haud facta mentio, satis indicare videntur, huius pacti confirmationem eique factam accessionem S. R. I. haud tangere, nec a Carolo proficisci vt imperatore. Is enim in *Capitulatione sua Art. 7.* promittere iamiam necesse habuit, se sine VI. Principum Electorum ad certum locum cum necessario ad deliberandum temporis spatio conuocatorum, aut maioris ad minimum illorum partis consensu, cum extera natione foedus haud initurum. Duplicem porro obligationem ac effectum in Carolo producere hanc confirmationem, personalem scil. intuitu S. R. I. et realem respectu prouinciarum eius haereditariarum, clare satis superius adducta verba innuere videntur. Praeter vtilitatem denique singularem prorsus, ex validis auxiliis a Caroli V. Imp. in prouinciis eius haereditariis successoribus

bus vtrique contrahentium ideo praeſtandis, in illos redundantem, in futurum quoque hoc modo ſibi voluerunt proſpicere paciſcentes, quo, ſi ad Carolum forte aut eius poſteros deuolueretur terrarum haereditariarum Auſtriacarum, a Ferdinando tunc poſſeſſarum, ſucceſſio, non nouis ſit opus foederibus.

§. XVI.

Tanto autem maiorem vel ideo meretur attentionem exiſtimationemque hucusque illuſtratum Foedus *Ferdinando-Sigismundeum*, quo magis conſtat, illud a ſequentibus Imperatoribus Auſtriacis Regibusque Poloniae, paucis partim hinc inde mutatis ac additis, partim pure ac ſimpliciter, quod dicunt, fuiſſe inſtauratum ac confirmatum, adeoque tanquam fundamentum omnium reliquarum eiusmodi conuentionum, illud debet conſiderari. Aſſerti huius veritatem ſequentia reddent multo clariorem.

§. XVII.

Qui enim immediate *Ferdinando I.* in S. R. I. regnisque ſpeciatim Hungariae Bohemiaeque ſucceſſit *Maximilianus II.* iamiam paternum cum Sigismundo Auguſto Pol. R. initum foedus cum eodem inſtaurauit, aſſerente ac probante hoc confirmatione illius inter Rudolphum II. Imp. et Sigismundum III. Regem Poloniae concluſa, moxque vberius exponenda. Formulam tamen huius inſtaurationis vt et annum ac diem, quibus exoptatum ſuum coepit exitum, fruſtra adhuc quaeſiui. Occaſionem ſine dubio praebuerunt lites de terminis Poloniam inter et Sileſiam obortae. Ad viſitandos ſiquidem terminos componendasque ideo exortas differentias, certos ab vtriusque, Maximiliani ſcil. II. Reg. Rom. et Sigismundi Auguſti Regis Poloniae, parte an. 1563. et 1565. deputatos reperio Commiſſarios, ſimulque inter hos Reges conueniſſe, peculiarem deſuper conuentum *Glogouiae Maioris* inſtituere. In *Collectione* enim ſaepius citata SCHOELLIANA *MSta Vol. II.* deprehendi *exemplum Mandati generalis a Maximiliano II. Rege Roman. Commiſſariis ſuis limitum tunc conſtitutis 1563. dati*, ex quo patet Conuentum *Glogouiae* hunc in finem habendum d. 15.

 Sept.

Sept. 1563. ſuum capere debere initium; ſed ſine dubio, ob varia impedimenta, effectu ſuo caruit iſte conuentus. Teſtatur hoc aliud *exemplum Mandati generalis Eiusd. Maximiliani II. Imp. commiſſariis ſuis limitum ad cauſſas Maioris Glogouiae tractandas, ordinatis 1565. exhibiti*, quod in *eodem Vol. II. Collectionis* SCHOELLIANAE MStae reperitur. Ac ne vllo amplius modo vtile admodum hocce inſtitutum poſſit impediri, Commiſſariis principalibus iam ſubſtitutis, alios adhuc eodem anno ſubſtituit Idem Maximilianus II. Imp. prout ex *Mandato tertio ibidem extante*, clare ſatis eluceſcit [a])

[a]) Cuncta haec documenta, vna cum litteris eiusdem Imp. §. ſequ. adducendis, nondum, quantum quidem conſtat, publici iuris facta, locum inuenient in locupletiori huius commentationis editione.

§. XVIII.

Verum rurſus noua dubio procul ſuperuenerunt impedimenta, quo minus *conuentus* modo memoratus *Glogouienſis* et lites ibidem terminandae ſperatum habere euentum potuerint. Specialibus quippe litteris [a]) d. 5. April. 1570. ad Sigismundum Auguſtum datis, denuo huius negotii finem, ac ſimul veterum pactorum inſtaurationem vrſit Maximilianus II. Imp. Ad meum ſane inſtitutum exinde huc tranſcribere lubet verba, quae ſequuntur: *Poſtremo communis pacis et tranquillitatis ratione antiquorum inter regnum Poloniae et Ducatum noſtrum Sileſiae vltro citroque initorum foederum, pactorum conuentionumque renouationem ſuadente, aequum iudicaremus, ſi a Nobis ex vtraque parte ſaepe dictis primariis commiſſariis omnes conuentiones, pacta et foedera inter olim praeclarae memoriae Diuos Parentes et praedeceſſores noſtros chariſſimos, in vtriusque Reip. vtilitatem et emolumentum ſancita, reuidendi et examinandi et perpendendi, tum etiam repetitis ſuperioribus omnibus, vtriusque noſtrum voluntate et aſſenſu, accedenteque ratificatione noſtra, eadem renouandi et concludendi poteſtas fieret. Ita vt vna opera, non tantum omnes inter ſubditos noſtros hucusque prorogatae diſſenſiones penitus tollantur et exſtirpentur*

pentur, firmiorque pax ſtabiliatur, ſed et ſancita et iſta foedera et pacta futuris temporibus inuiolabilia, inconcuſſa et perpetua permaneant. Quare ſi voluntas noſtra Serenitati veſtrae probabitur, ab eadem amanter et vnice poſtulamus, vt nobis animum ſuum in hac parte quam primum aperiat etc. Intra hunc igitur terminum a die ſcil. 5. April. 1570. vſque ad d. 8. Iul. 1572. quo Kniſini obiit Sigismundus Auguſtus, [b]) foedus Ferdinandeum cum iam nominato Poloniae Rege, inſtauraſſe Maximilianum II. Imp. omni plane caret dubio.

[a]) Reperiuntur illae in *eodem Vol. II. Collectionis* SCHOELLIANAE MStae.

[b]) Vid. *Stanislai* SARNICII *Annall. Polon.* L. VII. apud. DLVGOSSVM *Hiſt. Polon. T. II. (Edit. Lipſ. 1712 fol.)* p. 1222. et *Ioh. Demetr.* SVLIKOVII *Comment. Rer. Polon. a morte Sigismundi Auguſti* pag. 1.

§. XIX.

Quoniam Maximiliani Archi-Ducis in Poloniae Regem electio, eius captiuitas, ac pro eo liberando inter Rudolphum II. Imp. et Sigiſmundum III. Pol. R. inita pax, nouam promouerunt Ferdinando-Sigiſmundeae conuentionis, inter dictum Imperatorem Regemque confirmationem, a rigore, quem mihi propoſui, nulla prorſus ab argumento meo vel aliqua ratione aliena immiſcendi, aliquantum recedere quaedam neceſſitatis ratio eaque ineuitabilis mihi imperare videtur. Eligebatur nimirum poſt fata Stephani Bathori, ab inſigni quadam Polonorum parte d. 12. Aug. an. 1587. ineunte iam nocte, Maximilianus Archi-Dux Rudolphi II. Imp. Frater, cum altera pars iam d. 9. Aug. eiusdem anni Sigismundum Sueciae Principem Regem nominaſſet. [a]) Vterque adeo Rex ius ſuum armis tueri conabatur. Aſt Maximilianus prope oppidum Bilſinam (alii Pitniſum, Bitſinum aut denique Pitſchen vocant,) [b]) Ducatus Bregenſis in Sileſia, d. 13. Ianuar. 1588. proelio a Iohanne de Zamoiſcia, duce exercitus Regis Sigiſmundi et Magno Regni Cancellario, victus, et in dictum oppidum ſe recipiens, cum ſuarum partium

tium primoribus Polonis d. 25. Ian. e. a. ad deditionem fuit compulsus, simulque captus. [c])

[a]) Vid CHYTRAEI *Chronicon Sax.* (*Edit Lipf. 1593. fol.*) *p. 840.* THVANI *Hist. sui temporis* (*Edit. Aurelio-Geneuensis in fol.*) T. IV. L. 88. p. 230. PIASECII *Chronica gestorum in Europa praecipue in Polonia* ad an 1587. p. 73. (*Edit. Cracou. de an. 1645. fol.*) SVLIKOVII *Comment. Rer. Polon. a morte Sigismundi Augusti p. 195.*

[b]) Diuerso enim varioque modo hoc oppidum apud Scriptores scriptum reperitur.

[c]) Vid. CHYTRAEVS l. c. p. 852. sq. THVANVS l. c. p. 235. sq. PIASECIVS l. c. *ad an. 1588. p. 82.* KHEVENHILLERI *Annall. Ferdinand.* T. III. (*Edit. Lipf. 1721. fol.*) ad an. 1588. p. 609.

§. XX.

Pro liberando itaque Maximiliano Archi-Duce, pacem cum Sigismundo III. inire necesse habuit Rudolphus II. Imp. Historiam illius exponunt & summa capita sistunt, licet non vno eodemque modo CHYTRAEVS qui in *Chronico Saxoniae* (*Edit. cit.*) p. 857. sq. *Mense Ian. 1589.* pacem conclusam paucasque eius conditiones refert. THVANVS (*Edit. cit.*) *Tom. IV.* Lib. 96. p. 469. 70. ad an. 1589. Mense tamen et die omissis, transactionem hanc *Beutenae Quadorum*, interuentu Hippolyti Aldobrandini Cardinalis Legati Pontificii, et Philippi Vespasiani Gonzagae Sabionetae Ducis Legati Hispanici, firmatam adserit illiusque conditiones, CHYTRAEO quidem plures, sed breuissimis, explicat. IANSONIVS in *Mercurio Gallo-Belgico T. I.* (*Edit. Col. Agr. 1596, in 8uo p. 111. sq. et Edit. Colon. 1614. in 8uo. p. 87. sq.*) d. 9. Martii 1589. pacem initam affirmat, eiusque contenta, eodem fere modo ac THVANVS, paucis tantum hinc inde mutatis, exhibet. Illa iisdem quoque verbis deprehenduntur in ARTHVSII *Mercurio Gallo-Belgico Sleidano succenturiato* Tom. III. (*Edit. Francof. 1611. 8.*) *p. 573.* Cum his posterioribus inprimis conuenit quoque laudatus KHEVENHILLER. in *Annall. Ferdinand.* T. III. (*Edit. Lipf. 721. fol.*) p. 716. sqq. ad an. 1589. LONDORPIVS in *Continuatione Sleidani de Statu* Religio-

Religionis et Reipubl. T. II. (*Ed. Francof. 1615. in 8. mai.*) p. 740. perhibet, anni 1589. Menſe Ianuario conueniſſe Rudolphi Imp. et reliquae Domus Auſtriacae legatos cum Polonis, ac poſt multas interiectas difficultates, conditionibus vtrique parti tolerabilibus, quas breuiter recenſet, tandem fuiſſe transactum. ISTHVANFIVS porro in *Regni Hungariae hiſtoria* Lib. XXVI. ad an. 1587. p. 351. (*Ed. Col. 1724. in fol.*) quinto Id. Mart. 1587. transactum ſtatuit contentaque inter omnes, quos iam indicaui, Scriptores, ampliſſima iisdemque hinc inde verbis, quae in originali, vt ſic dicam, Pacis formula deprehenduntur, ſiſtit. Neque vero hoc adeo mirum, quum ipſe conficiendae huic Paci interfuerit, eique inter caeteros Caeſaris Legatos ſubſcripſerit. Quo difficilius eſt comprehendere, qui acciderit, vt grauiſſimus hic Scriptor terminum concluſae huius transactionis annum 1587. ſtatuerit, cum tamen, vti mox patebit, certo certius conſtet, eam An. 1589. fuiſſe firmatam. PIASECIVS tandem *in Chron. cit.* ad an. 1589. p. 86. et 88. generatim tantum tradit, de pactis pro liberando Maximiliano in Comitiis actum, ea concluſa et a Rudolpho II. Imp. iuramento firmata, in iisque ſimul fuiſſe prouiſum, vt antiqua foedera innouarentur.

§. XXI.

Omnium autem, meo quidem iudicio, accuratiſſime certisſimeque et cum omnibus ſuis circumſtantiis celebratiſſimae huius Pacis acta, vtpote ex quibus veriſſimum de illius fatis ferre licet iudicium, et cum integris eius, vt et Ferdinando-Sigismundaei inſtaurati foederis formulis, [a]) exhibet rariſſimus ſane libellus, cui titulus: *Pacificationis inter Sereniſſimam Domum Auſtriacam ac Sereniſſimum Regem Poloniae et Ordines Regni tractatae, ſcripta aliquot* etc. *1590. in 4.* [b]) Ex his igitur patet, legatos Auſtriacos Polonicosque initio Menſis Ianuarii 1589. *Bendzini* in Sileſia conueniſſe, ac Mediatore Cardinale Aldobrandino Sixti V. Pontif. Max. de latere legato, poſt multas arduasque difficultates, quas hic enarrare omnes praefixus ſcopus non permittere videtur, tan-

dem 9. Mart. eiusdem anni *Bithomii et Bendzini* certam compoſuiſſe formulam eique ſubſcripſiſſe. Extat illa in modo citata collectione integra cum ſequenti inſcriptione, verbis initialibus, finalibus, vt et ſubſcriptione [c]) huius tenoris.

Formula tranſactionis communi conſenſu vtrinque tandem receptae:

Nos infra ſcripti ſacratiſſimi atque inuictiſſimi Romanorum Imperatoris Rudolphi II. nec non Hungariae Bohemiaeque Regis, Archi-Ducis Auſtriae etc. etc. Domini noſtri clementiſſimi vniuerſaeque Sereniſſimae Domus Auſtriacae Regnorumque Caeſareae Maieſtatis Hungariae Bohemiae caeterorumque deputati Commiſſarii etc. etc. ex vna parte; ex altera vero Nos Sereniſſimi Principis et Domini D. Sigismundi III. Regis Poloniae, Magni Ducis Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae etc. etc. nec non commemorati Regni, Magni Ducatus Lithuaniae caeterarumque ditionum Eius nomine itidem deputati commiſſarii etc.

Datum Bithomii et Bendzini nona die Menſis Martii. Anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo nono.

Hypolitus tituli ſancti Pancratii Presbyter, Cardinalis Aldobrandinus S. Romanae Eccleſiae maior poenitent: et S. D. N. ſanctaeque ſedis Apoſtolicae legatus de latere.
Guilielmus Vrſinus de Roſenberg.
Petrus Epiſcopus Iaurienſis.
Chriſtophorus Iunior Baro a Lobcouic.
Richardus Strein Baro in Schwarzenau.
Stanislaus Epiſcopus Olomucenſis.
Nicolaus Iſthuanffi.
Seifridus a Promnitz, Baro in Pleſſ.
Kobenzel de Proſſek, Baro.
Hieronymus Comes a Rozdrazow, Epiſcopus Wladislauienſis et Pomeraniae.
Ianuſius Dux in Oſtrog, Palatinus Wolhiniae.

Stanis-

Stanislaus Gostomski de Lezenice, Palatinus Rauensis, Capitaneus Radomiens.

Christophorus Zienouicz, Palatinus Brestensis, magni Ducatus Lithuaniae. manu propria.

Andreas Opalienski, supremus Regni Poloniae Mareschalcus. manu propria.

Ioannes Zamoyski, regni Poloniae Cancellarius et generalis Capitaneus.

[a]) Integram huius supra memoratae Pacis formulam nullibi amplius, nisi *in hac Collectione* reperire licuit, et apud ipsum *Cel. du* MONT solertissimum alias actorum publicorum collectorem, in splendidissimo suo sumtuosissimoque opere, *le grand Corps Diplomatique* dicto, *T. V. P. I. p. 458.* sub. No. CCVI. extat solum compendium huius conuentionis sub hac inscriptione: *Summa tractatus pacis inter Rudolphum II. Rom. Imp. Hungariae Regem et Maximilianum Archi-Ducem Austriae ab vna, et Sigismundum Poloniae Regem ab altera parte sanciti, quo Maximilianus per comitiorum scissuram in Regem Poloniae electus, nunc abdicat omne ius et titulum regium hactenus sibi assertum, Bithoniae XI. Mart. 1587. Isthuans. L. 26. p. 371.* Cui summae dictus *du* MONT, instar notae, haec addit. *Quoique ce ne soit ici qu' un Extract, il vaut presqu' autant qu' un Original, l' Auteur, de qui on le tire, ayant été l' un des Ministres qui le firent, et qui le signerent de la part de l' Empereur et de l' Archi-Duc.*

[b]) Quum horum scriptorum maxima fere sit raritas, ad illius tamen contenta aliquot prouocare, in sequentibus plus simplici vice necesse habeam, non incongruum videtur ea omnia hic recensere. Deprehenduntur autem ibidem

1) *Narratio deditionis Byczynensis.*

2) *Ioan. Zamoysk, Regni Poloniae Cancellarii et generalis Capitanei, promissio conditionum, quibus Archi-Ducem cum suis recipere velit, scripta lingua Polonica et Latina 14. Ian. 1588.*

3) *Litterae Dominorum commissariorum Polonicorum ad Illustriss. Cardinalem Aldobrandinum de latere legatum, Bendzini 27. Ian. 1589.*

4) *Epistola eorundem ad Dominos commissarios Austriacos, Dat. Bendzini 7. Ian. 1689.*

5) *Prima postulata Dominorum Commissariorum Polonicorum per Illustriss.*

ſtriſſ. Dn. Cardinalem Aldobrandinum de latere legatum, Dominis Commiſſariis Auſtriacis edita.

6) *Prima poſtulata Dominorum Commiſſariorum Auſtriacorum per Illuſtriſſ. Dn. Cardinalem Aldobrandinum de latere legatum, eodem modo Dominis Polonicis Commiſſariis edita.*

7) *Ad Illuſtriſſ. Dominum Cardinalem Aldobrandinum de latere legatum, Dominorum Commiſſariorum Auſtriacorum, quo ad priora poſtulata ſua reſponſum vrgent, ſcriptum.*

8) *Dominorum Commiſſariorum Polonicorum ad Dominorum commiſſariorum Auſtriacorum poſtulata reſponſum.*

9) *Dominorum Commiſſariorum Auſtriacorum ad Illuſtriſſ. Dominum Cardinalem de latere legatum, de damnis datis Epiſtola, Bythini 7. Mart. 1589.*

10) *Dominorum Commiſſariorum Polonicorum ad praecedentem Epiſtolam reſponſum.*

11) *Formula transactionis communi conſenſu vtrinque tandem receptae. Dat. Bithomii et Bendzini IX. Mart. 1589.*

12) *Actus iuramenti Lublini, tam a Regia Maieſtate Poloniae, quam Ordinibus Regni, magni Ducatus Lithuaniae, Caeſarearumque prouinciarum praeſtiti, 19. May 1589.*

13) *Confirmatio tranſactionis Sac. Reg. Maieſt. Poloniae. Dat. Warſouiae in Comitiis regni generalibus 18. April 1589.*

14) *Iuramentum Eiusdem Regiae Maieſt. Dat. Lublini 24. May 1589.*

15) *Iuramentum delegatorum ab Ordinibus. Lublini 24. May 1589.*

16) *Mandatum ſeu plenipotentia Ordinum regni Poloniae, in eos qui ad iuramentum, iuxta conuentionem Bendzinenſem, praeſtandum, in publicis Comitiis delegati ſunt, Warſouiae in Comitiis 18. April. 1589.*

17) *Confirmatio transactionis Caeſareae Maieſtatis. Pragae 26. May 1589.*

18) *Iuramentum Caeſareae Maieſtatis, Pragae 10. Iul. 1589.*

19) *Confirmatio tranſactionis Sereniſſimi Ferdinandi Archi-Ducis, Oeniponte 5. Iun. 1589.*

20) *Confirmatio tranſactionis Sereniſſimi Caroli Archi-Ducis, Dat. in ciuitate Metropoli Graz 30. May 1589.*

21) *Confirmatio tranſactionis Seren. Erneſti Archi-Ducis, Dat. in ciuitate Vienna 10. Iun. 1589.*

22) *Confirmatio transactionis Seren. Matthiae Archi-Ducis, Dat. in arce Lyntzenſi 1. Iun. 1589.*

23) *Iuramentum Ordinum Regni Bohemiae aliarumque aliquot prouinciarum, Pragae 10. Iul. 1589.*

24) *Mandatum Ordinum eorundem in eos, qui nomine illorum iurarunt a Caesarea Maiestate editum, Pragae 10. Iul. 1589.*

25) *Confirmatio pactorum, Pragae 26. May 1589.*

26) *Cautio Caesareae Maiestatis, de non praestito ab Hungariae regni Ordinibus iuramento, Pragae 14. Iul. 1589.*

27) *Seren. Archi-Ducis Maximiliani, de transactione confirmanda, iisque, quae ex eadem transactione reliqua deberentur adimplendis, cautio, Dat. Vislicii 1. Sept. 1589.*

28) *Regiae Maiestatis ad Summum Pontificem, de conditionibus non expletis epistola, Warsauiae.*

29) *Eadem de re ad Caes. Maiestatem, Dat. Warsauiae.*

30) *Ad caeteros Serenissimos Archi-Duces, vno exemplo, Dat. Warsauiae.*

31) *Summi Pontificis literae, quibus ad superiores Regiae Maiestatis respondet, Dat. Romae 10. Mart. 1590.*

32) *Epistola Caesareae Maiestatis ad Regiam Maiestatem, Dat. Pragae 2. April. 1590.*

33) *Oratio nomine Caesareae Maiestatis, recitata a Daniele Printz a Buchau, eiusdem Consiliario, et ad Sereniss. Poloniae Regem legato, d. 23. April 1590.*

34) *Serenissimi Ernesti Archi-Ducis ad Reg. Mai. Epistola, Pragae 7. Mart. 1590.*

35) *Seren. Ferdinandi Archi-Ducis ad Regiam Maiestatem, Oenipontе 22. Mart. 1590.*

36) *Seren. Caroli Archi-Ducis ad Reg. Mai. Dat. in ciuitate Graz 3. April. 1590.*

37) *Ad Eund. sereniss. Archi-Ducis Matthiae literae, Dat. Viennae 9. April. 1590.*

38) *Ad Caes. Maiestatem Regiae Maiestatis epistola, Dat. Warsauiae 26. April. 1590.*

39) *Ad Sereniss. Ernest. Archi-Ducem, Warsauiae 26. April. 1590.*

40) *Responsum S. Reg. Maiestatis ad legationem nomine S. Caesar. Mai. a Magnifico Daniele Printzio a Buchau regni Bohemiae appellationum consiliario et eiusdem Caesar. Mai. Oratore expositam, Dat. Warsauiae d. 26. Apr. 1590.*

[c]) Totam enim illam huc transſcribere, praeſentis commentationis ratio prohibet. Eo accurratius tamen §. ſeq. eius ſuppeditabo argumentum.

§. XXII.

Sequuntur nunc ipſa contenta [a]) celebratiſſimae huius Pacis, quae paulo accuratius hic repraeſentare mearum eſſe partium duxi. Sub ingreſſum ſtatim, pluribus quidem verbis, laudant Sixti V. Pontificis Max. eiusque de latere legati Cardinalis Aldobrandini indefeſſum promouendae huius conuentionis ſtudium, commisſarii inſimulque profitentur, ſe nunc omnes controuerſias Dominorum ſuorum ſequentem in modum compoſuiſſe.

1) Sit ac ſtatuatur perpetua omnium praeteritarum iniuriarum, inimicitiarum, offenſionum obliuio, et loco illarum pax ſempiterna.

2) Archi-Dux Maximilianus titulo et iuri in regnum Poloniae nuncium mittat, nec priori inprimis vnquam vtatur.

3) Praeter eum Caeſar etiam, Maximilianus caeterique Archi-Duces, ſe nullam vnquam controuerſiam vel hac, vel quacunque alia cauſſa, colore ſeu praetextu, Sigismundo III. praeſenti Regi Poloniae moturos, vel etiam regno, poſt mortem eius vacanti, ſpeciatim Archi-Ducem Maximilianum vel quemcunque alium, quocunque tempore, per ſe, vel per alios relaturum aut ſuſcitaturum, neque id facienti, conſilium, auxilium, tranſitum ſeu fauorem quemcunque in eam rem ſe praebituros praeſtiturosque ſpondeant ac promittant. Nec tamen in vllam Eiusdem Archi-Ducis iniuriam aut contumeliam accipi aut quisquam interpretari id debebit.

4) Electionem Sigismundi III. probet et Regnum Poloniae ei delatum aequo animo ferat Caeſar, vna cum Domo Auſtriaca.

5) Si Regnum Poloniae iterum vacare contingat, in libertate electionis, nemo Ordines regni, nec armis, largitionibus, factionibus aut alio quocunque modo, ne impediat Caeſar cum Domo Auſtriaca, dolo ac fraude omni remotis.

6) Caſtrum

6) Caſtrum Lubouliae cum oppidis villisque ad id pertinentibus, nec non omni ſupellectile, ac inprimis cunctis tormentis, tam maioribus quam minoribus, futuro die XXI. Menſ. Iulii, quoniam iniuſſu ac praeter voluntatem Caeſar. Mai. occupatum, Regno Poloniae reſtituatur.

7) *Pacta ab aliquot ſaeculis inter Domum Auſtriacam et regnum Poloniae inita, confirmentur et inſtaurentur, ſitque perpetua inpoſterum inter Domum Auſtriacam et Regnum Poloniae amicitia.*

8) Caeſar promittit, vna cum omnibus Principibus Auſtriacis, praeſertim Archi-Duce Maximiliano, neque per ſe, nec per ſubmiſſas perſonas, nullo tempore, nec vllo ſub praetextu aut cauſſa, Poloniae, Magno Ducatui Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae caeteriſque ditionibus, arcibus, oppidis, villis, hominibus Regis Poloniae Eiusque Sociorum et adhaerentium, vllam inferendi vim, aut iniuriam, nec factiones contrarias ſuſcitare aut alere, nec proſcriptos aut exules recipere, nec denique aliis idem facientibus vllum conſilium, auxilium, tranſitum aut fauorem concedere, ſed potius cuncta, quae transactione hac, pactis perpetuis ac foedere comprehenduntur, diligentiſſime obſeruare. Quae omnia etiam Rex Poloniae, ſpeciatim intuitu Hungariae, Bohemiae, Auſtriae, Morauiae, Sileſiae aliarumque Domus Auſtriacae ditionum, ſancte ſeruare pollicetur.

9) Quo firmiora haec omnia ſint et maneant, conuenit, vt Poloniae Rex legatum ſuum ad Caeſarem et Archi-Duces Auſtriae intra 20. April. in aulam Caeſaris prior mittat, qui quidem inprimis, vt Caeſar offenſiones omnes, quae ſuperiori anno inter illum atque Domum Auſtriacam ab vna, regnumque Poloniae ab altera parte interceſſerunt, propter pacem et tranquillitatem ignoſcat, rogabit, ſimulque Regis ſui nomine offeret, illum paratum eſſe, quae in transactione continentur, ſingula confirmare et praeſtare. Caeſar igitur

in

in eiusdem Regis gratiam, et ob publicam tranquillitatem, paci et petitioni huic annuat, et dein intra 15. Mai. quoque legatum ſuum ad Poloniae Regem mittat, per quem gratam Regis legationem, et quae reliqua ab illius Oratore perceperit, oſtendat, eoque praeſente, Rex Poloniae formulam iuramenti praeſtet, [b]) quae ideo huic transactioni de verbo ad verbum eſt inſerta. Secundum Regiam Maieſtatem etiam Ordines Regni Poloniae, Magni Ducatus Lithuaniae, Pruſſiae, Maſouiae *etc.* iurent ſecundum formulam in eadem pacificatione expreſſam.

10) Quibus omnibus peractis, mittet dein intra 15. Iun. ad Caeſarem caeterosque Archi-Duces in aula Caeſaris, aut per ſe aut per legatos ſuos exiſtentes, alterum legatum ſuum Poloniae Rex, qui inprimis transactionem hanc, tum iuramenta Regis et Ordinum modo memorata, ab ipſo Rege Ordinibusque Poloniae, Magni Ducatus Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae etc. ſubſcripta ſigillisque eorundem munita Caeſari tradet, vtque transactionem hanc Caeſar et Archi-Duces, patrui et fratres ipſius ſimiliter confirment, confirmatamque ſubſcriptionibus et ſigillis cum ſuis, tum Ordinum nomine, praecipuorum Procerum edant, et iuramentis roborent, quorum quidem formula a Caeſare et Archi-Ducibus praeſtanda pariter de verbo ad verbum in hac transactione continetur. Ordines vero regionum ditionumque Caeſaris et Domus Auſtriacae, vel quidam eorum nomine ſpeciali et ſufficienti Mandato ideo inſtructi, iisdem verbis et forma, quae Polonicis Ordinibus praeſcripta, itidem legato regio praeſente iurent. [c])

11) Legatus porro Polonicus tunc pactorum quoque ſecundum eam formulam, quae ex communi conſilio ac ſententia ſcripta, confirmationem ſimul a Caeſare petat, et tam Eiusdem Caeſaris eorundem pactorum ratificationem ad Regem Poloniae deferat, quam Poloniae Regis apud Caeſarem relinquat.

12) Vi-

12) Viciſſim vero Maximilianum Archi-Ducem Auſtriae etc. Rhodlo, vbi nunc eſt, ad diem 16. Iulii mouere, ac quam honorificentiſſime Byczynum, vel ſi ita Serenitati ſuae videbitur, Bithomiam cura Regis Poloniae ad diem 28. Iulii deduci debere, vtriusque Partis Commiſſarii promittunt.

13) Priusquam etiam Maximilianus Archi-Dux e Regno proficiſcatur, Poloniae Rex ipſe eum inuiſet, mutuamque beneuolentiam ita ei declarabit, vt eam ſuperioris temporis iniuria, interruptam magis fuiſſe, quam vel tum etiam illi defuiſſe, vel in poſterum defuturam oſtendat, quamque maximam poterit dignitatis eius rationem libenter habebit.

14) Quamprimum vero Maximilianus Archi-Dux vltra fines Regni Poloniae in Caeſaris ditiones peruenerit, ipſe quoque hanc transactionem in omnibus ſuis capitibus et articulis confirmabit, confirmatamque et ſua atque aliquot Procerum Germanicorum, quos tum ſecum habuerit, ſubſcriptionibus et ſigillis munitam, iis, qui nomine Regis Poloniae eum comitabuntur, inſtrumentumque illius ab eo poſtulabunt, tradet, dein vero iuramentum, ſecundum formulam pariter in hac transactione de verbo ad verbum exhibitam, praeſtabit, iisdemque ſimiliter, a ſe et aliquot Proceribus Nationis Germanicae, tunc praeſentibus, ſignatum ſubſcriptumque dabit. Quo quidem iuramento praeſtito, tandem iis etiam, quos ex Natione Polonica iuramento, fide aut quocunque modo obligatos antea Archi-Dux habuit, fidem eam, iusiurandum omnemque omnino obligationem remittet, planeque liberos pronunciabit. [d])

15) Quoniam in 7. et 8. ſupra commemoratis huius pacis momentis antiqua foedera inter Domum Auſtriacam Poloniaeque Regnum mutuum quoque auxilium aduerſus communes hoſtes praeſtandum, continentia confirmantur, ſub finem praeſentis transactionis ab ea, et quidem a parte Caeſaris excipiuntur Papa, Sedes Apoſtolica, Sac. Rom. Imp. vtpote cui

Caeſar ob iuramenti vinculum, ſi quis illud iniuria afficere velit, deeſſe non poteſt, Philippus porro Rex Hiſpaniarum Catholicus, Magnus Moſchorum Princeps, ne propter hanc exceptionem vel contra Regem Regnumque Poloniae, Magnum Ducatum Lithuaniae etc. vel contra Sueciae Regem Caeſar caeterique Archi-Duces vllum auxilium Moſchis dare et hanc transactionem turbare debeant aut poſſint, tandem etiam Turcarum Princeps, per praeſentes et futuras, ſi quae interceſſerint, inducias, ita vt iſthaec transactio Caeſarem contra illum ligare non poſſit, nec debeat. A parte Regis Poloniae contra excipiuntur ſimiliter Papa, Sedes Apoſtolica, Parens quoque Regis Rex Sueciae, Tranſyluaniae Princeps, nec non pax, quae Regi Poloniae cum Turcarum Principe intercedit, aut in poſterum, iuxta priſtinam D. Sigismundi Auguſti formulam, ſit interceſſura.

[a]) Nec in iis plane conueniunt Scriptores ſupra adducti, CHYTRAEVS, THVANVS, IANSONIVS, ARTHVSIVS, KHEVENHILLER, (licet hic l. c. conditiones IANSONIO et ARTHVSIO, quorum vterque eas iisdem refert verbis, allatas in Germanicam tantum transtulerit linguam) SLEIDANVS, ISTHVANFIVS et PIASECIVS ll. cc. Illarum tamen inter ſe et cum iis, quas in hoc §. expoſui, collationem hic ſiſtere nimis foret prolixum et a ſcopo meo longius aberraret. Hinc qui inſignem earum differentiam cognitam ſibi reddere cupit, ipſos ſupra §. XX. adductos a me ſcriptores conſulat, et cum praeſentibus meis conferat, neceſſe omnino videtur.

[b]) Quae omnia qua ratione in effectum ſint deducta, teſtantur ſupra in §. XXI. not. *b.* ſub. No. 12. 13. 14. et 15. adducta monumenta.

[c]) De his omnibus, quomodo praeſtita, vel cautio deſuper fuerit data, loquuntur in modo citati §. XXI. n. *b.* ſub No. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. et 26. allata documenta.

[d]) Haec conditio non ſtatim nec praeſcripto modo adimpleta, ſed varia vltro citroque deſuper poſtea fuerunt acta, prout perſpicere licet ex monumentis ſupra §. XXI. *not. b.* ſub No. 26 - 36. citatis. Legi imprimis et vt huc quoque tranſcribantur, omnino merentur, quae

quae ideo memoriae mandauit KHEVENHILLER in *Annal. Ferdin.* T. III. ad an. 1589. (*Edit. Lipſ. 721. fol.*) p. 716. 717. ſequentibus verbis: *Als ſolches beſchehen* (iurata ſcil. a Caeſare et Rege pace) *hat der König aus Pollen den Ertz-Hertzog mit groſsen Pomp beſucht und gar hoeflich tractiret, und ihm auf die Schleſingeriſchen Graenitzen nach Beuten führen laſsen, und als die Pollen, das die Vngern die obgedachte Conditionen noch nicht geſchworen in obacht genommen, haben ſie Ertz-Hertzog Maximilian in ein dort herum liegendes Schloſs wieder in die Verwahrung führen wollen, dahero ein Zanck zwiſchen denen Pollen und Vngern entſtanden, darauf eine Compagnia Vngarn in die Pollacken gefallen, ſie zertrennet, und den Ertz-Hertzog Maximilianum aus ihren Haenden erlediget, der aber ob er wohl damahls die Conditionen nit unterſchrieben, hat er ſie doch hernach alsbald ratificiret.* Et quomodo tandem haec, nec non reliquae circa plene adimplendas huius pacis conditiones obortae difficultates fuerint ſopitae, tradit idem KHEVENHILLER *T. cit.* ad an. 1590. p. 872. verbis: *Dis Iahr hat der Kayſer Rudolph den Biſchoff zu Breslaw und Reinhard Ramer nach Pollen alle Differenz, wegen der in der Friedens-Tractation vorgefallenen Difficultaeten zu accommodiren geſchicket, und ob wol die Pollen nit gar zu vaſt incliniret darzu geweſt, ſo hats doch der Koenig, als gut eyfrig catholiſch, dahin gericht, das alles zu Satisfaction des Kayſers abgangen.*

§. XXIII.

Vigore igitur *ſeptimi* inter momenta iam a me explicatae pacis inter Rudolphum II. Imp. et Sigismundum III. Poloniae Regem concluſae, pacta quoque vetera inter Auſtriam Poloniamque, et inprimis ſaepius memoratum foedus Ferdinando-Sigismundeum, cuius contenta ſupra §. XIV. tradidi, fuerunt inſtaurata. Formulam deſuper conceptam, non niſi in *Collectione Scriptorum pacificationis* §. XXI. allata, deprehendere licuit. Ibidem vero extat ſub inſcriptione: *Confirmatio pactorum.* [a]) Atque ex ipſius ſubſcriptione patet, firmatam fuiſſe *Pragae d. 26. Maii 1589.* Conuenit praeterea cum modo citato pacto Ferdinando-Sigismundeo in omnibus fere eius partibus de verbo ad verbum. Hinc vbi ab eo differat, nunc indicare non abs re fuerit. Scilicet

 1) Anti-

1) Antiqua pacta denuo confirmat, et inter ea quoque Ferdinandei ac Maximiliani II. mentionem facit.

2) Momentum quartum foederis Ferdinandei, cuius summam supra §. XIV. recensui, in hac Confirmatione desideratur.

3) Quae momento sexto sub c. de Consiliariis seu Commissariis ad componendas lites deputandis statuta sunt, hic eum in modum, vti in nota subiecta [c]) indicaui, leguntur mutata.

4) Inter exceptos ab hac conuentione loco Caroli V. Imp. hic Philippus Rex Hispaniarum Catholicus, et praeterea Magnus Moschorum Princeps ab Imperatore Rudolpho II. excepti leguntur. Sigismundus III. vero exceptis iam in superioribus foederibus addidit Parentem suum Regem Sueciae et Transyluaniae Principem.

5) Sequentia insuper praesenti instaurationi de nouo prorsus apposita deprehendi, quae adeo, de verbo ad verbum, huc transscribere necesse iudicaui; *Cum vero eadem pacta ante etiam per recolendae memoriae Carolum V. Imp. Hispaniarum Regem* etc. *ratione quorumcunque haereditariorum regnorum suorum confirmata fuerint, permittimus itidem spondemusque Nos Imperator Rudolphus, effecturos nos, vt per Serenissimum et Potentissimum Principem et Dominum Philippum, Regem Hispaniarum Catholicum* etc. etc. *tanquam in iisdem haereditariis regnis et dominiis successorem, quoad eadem regna et dominia sua similiter renouentur, confirmenturque confirmationemque eam intra octo Mensium spatium, a praesente die numerandos, ad Sereniss. Poloniae Regem nos transmissuros. Nos vero Sigismundus Rex, iam ex hoc ipso tempore, atque hisce litteris pro parte nostra, aut pro regno et caeteris dominiis nostris, eadem pacta et foedera, cum Seren. ac Potentissimo Rege Catholico, Regnis, Prouinciis ac dominiis eius haereditariis, continuamus, confirmamus, instauramus, renouamus, declaramus, corroboramus, amplificamus, et praesentibus litteris nostris, nos obligamus et verbo nostro regio bona-*

bonaque fide promittimus, ea nos omnia et ſingula in eis contenta et expreſſa, inuiolabiliter obſeruare et adimplere, et in nullo illis contrauenire velle, dolo et fraude ſemotis.

[a]) Indicaui eam pariter ſupra §. XXI not. *b.* in recenſione contentorum collectionis in ipſo illo §. citatae No. 25.

§. XXIV.

Succedit nunc in ordine priſtinarum conuentionum, huc vſque explicatarum, noua inſtauratio Matthiae Imp. et Eiusdem Sigismundi III. Reg. Pol. Apud Scriptores quidem Rerum Europae generatim, vt et Germanicarum, Auſtriacarum et Polonicarum ſpeciatim, quos quidem ideo euoluere datum fuit, altum ſane de huius inſtaurationis cauſſis et reliquis circumſtantiis vbique deprehendi ſilentium. [a]) Ipſam tamen eius formulam exhibent

1) Celeb. du MONT in *le grand Corps Diplomatique, T. V. P. II.* No. CCXXVII. ſub hoc titulo: *Pactum et Foedus inter Imp. Rom. et Regem Poloniae Sigismundum III. quo priora pacta atque foedera inter Poloniam et Auſtriam inita renouantur, mutuum ſibi inuicem amorem, auxilium, perpetuam pacis et commerciorum culturam pollicentur, atque haec et reliqua concluſa ſimul ratificant; In caſtris Poſonienſi et Varſouienſi die 23. Mart. 1613.* cui adiecit modo citatus du MONT ſequentia: *Piece tirée de la Regiſtrature d' Etat de la Chancelerie de la Cour de Sa Maieſté Imperiale.*

2) *Collectio Conſtitutionum Regni Poloniae nouiſſima T. III. p. 209. ſeqq.* Sub rubro:

Foedus inter Sac. Caeſ. et Seren. Poloniae Regum Maieſtates, Matthiae Imp. et Sigismundi III. Regis Poloniae. Datum Varſauiae 1615. 10. April.

Perfecta forſan fuit noua haec foederum Auſtriacorum Polonicorumque priſtinorum confirmatio, ab vtraque parte, d. 23. Mart. 1613., [b]) ac demum a Rege Poloniae 10. April. 1615. Varſauiae [c]) ſolennius publicata, atque ita vim veluti perpetuae legis in Polonia fundamentalis [d]) obtinuit. Atque hac quidem ratione anno-

rum dierumque differentiam, quae hic sese exerit, omnium optime conciliari posse existimo.

[a]) Cel. B. G. STRVVIVS enim in *Corp. Hist. Germ. pag. 2049. §. 5. n. 29.* repetiit solum ea, quae in titulo eius apud *du* MONT iam descripta legere licet, ac apud dictum *du* MONT extare indicat. Et GHWALKOVSKY in *Iure Publico Regni Poloniae p. 255.* tantum haec habet: *Pactorum exemplum sub Matthia Imp. et Sigismundo III. Rege typis excusum est.* Mentionem illius quoque facit Leopoldina Confirmatio mox explicanda.

[b]) Ita enim in exemplo apud *du* MONT l. c. legitur: *Datae in nostris Posoniensi et Varsouiensi arcibus regiis die 23. Mens. Martii 1613. Regnorum nostrorum Matthiae Imp. Romani primo, Hungarici quinto, Bohemici secundo; nostrorum vero Sigismundi Poloniae 25to, Sueciae 19mo.*

[c]) In *Constitutionibus* quippe *Regni Poloniae* l. c. saltem deprehenduntur verba: *Datum Varsauiae 1615. 10. Apr.*

[d]) Hoc exinde patet, quia Constitutionibus Regni Poloniae conspicere licet insertam.

§. XXV.

Atque exigui inprimis sunt momenti, quibus haec a praecedente differt pactorum Austriaco-Polonicorum instauratione Rudolphino-Sigismundea. Nimirum 1) superioribus pactis addit modo dictum Rudolphino-Sigismundeum. 2) Circa momentum 3) Principes scil. ab illa exceptos, quaedam aliter leguntur statuta. Ita loco Philippi Hispaniarum Regis Catholici, hic illius filius eiusdem nominis occurrit. Quae porro ibidem de Magno Moschorum Principe disposita leguntur, hic omissa sunt. Pariter ante Turcarum Principem hic, a parte Caesaris inter exceptos Transyluania quoque reperitur. Sigismundus III. etiam loco Parentis, Regnum Sueciae, et pro Transylvaniae Principe, ipsam Transyluaniam excipit. Reliqua fere de verbo ad verbum cum antecedente quam accuratissime conspirant.

§. XXVI.

Matthiae in Imperio et terris haereditariis successorem Ferdinandum II. Imp. cum eodem Sigismundo III. ac dein Vladis-

lao

lao IV. Poloniae Regibus, celebratiſſima illa huc vſque tot vicibus iam reſtaurata pacta denuo firmaſſe, teſtatur Confirmatio Leopoldina mox illuſtranda. Quibus vero annis et qua quidem ratione factum ſit, deficientibus harum inſtaurationum formulis, ac teſtimoniis Scriptorum fide dignis, definire non datur. Si quis tamen coniecturae locus, a Ferdinando II. Imp. forte, exortis magnis iſtis motibus Bohemicis, [a]) ad illos eo facilius ſopiendos, ac ne Fridericus Sigismundum in ſuas traheret partes, vel cum Sigismundus III. Poloniae Rex an. 1629. ab ipſo Imperatore contra Suecos auxilia poſtularet, peculiaremque deſuper iniret conuentionem; [b]) ſimul antiqua illa foedera renouata rurſusque roborata fuerunt.

[a]) In iis enim dum Poloniae Rex Bohemos Ferdinando II. Imp. aduerſos, miſſis legatis datisque ad illos litteris, additis etiam minis, ad pacem et concordiam ac amicam cum Ferdinando compoſitionem adhortatur, Bohemi id reſponſi dabant, ipſius eſſe, propter antiqua Bohemiam inter Poloniamque Compactata atque foedera, ſeruare pacem, nec hoſtile quid committere, prout haec omnia fuſius exponit KHEVENHILLER *Annal. Ferdinand.* (*Ed. Lipſ.*) T. IX. p. 199. et 632.

[b]) Quae quidem conuentio, cum praeſtationes quasdam contineat ſingulares, ad alteram foederum Auſtriaco-Polonicorum claſſem pertinet. Videri interim de illa poteſt laudatus KHEVENHILLER l. c. T. XI. p. 808 ſqq.

§. XXVII.

Habita temporum ratione, ordo nunc tangit vltimam ſolemnem antiquorum pactorum Auſtriaco-Polonicorum inſtaurationem, inter Leopoldum Imp. et Iohannem III. Regem Poloniae, Viennae et in arce regia Varſouiae die 24. April. 1677. concluſam, et a Rege Poloniae ſpeciatim confirmatam. Verum hic vel maxime dolendum, quod nec huius renouationis vllibi memoriam ſeruatam, nec quid circa illam perficiendam acciderit notatu dignum, ab vllo Scriptore fide digno notatum deprehendere potuerim. Quibus deſtitutus, eos tantum in medium hic adducere cogor, qui illius formulam ſiſtunt. Exhibent autem illam

a) *Nic.* GHWALKOVSKY, et hic quidem ſine vllo argumento, in *Iure Publico Polonico, p. 256-281.*

b) LVNIG, in *Teutſchen Reichs-Archiu, Part. Spec. Cont. I. Erſter Fortſetzung* No. CCCIX. p. 443-448. ſub Inſcriptione: *Kayſers Leopoldi Compactata mit Koenig Iohanne III. in Pohlen, die Vnterhaltung guter und nachbarlicher Freundſchafft, Beſtraffung der Raeuber und Moerder etc. Aus- und Einfuhr des Saltzes und das Müntz Weſen betreffend, de an. 1677.*

c) *du* MONT. *in le grand Corps Diplomatique, Tom. VII. Part. I. p. 332. ſqq.* et quidem, quod ſimul notat, ex GHWALKOVSKY *Iure publico Polonico* modo citato, ſub rubro: *Foedus inter Leopoldum Rom. Imp. et Iohannem III. Regem Poloniae, quo priora foedera inter Poloniam atque Auſtriam inita, renouantur, mutuum ſibi inuicem auxilium, perpetuam pacis atque commerciorum culturam pollicentur. Actum in Ciuitate Viennae et arce regia Varſou. d. 24. April. 1677. cum Ratific. Reg. Pol. dat. Varſou. 1677.*

Ad eius contenta quod attinet, ab antecedentibus illa paucis differunt. Ita enim

1) ſuperioribus pactis, Matthiae et Ferdinandi II. Impp. cum Sigismundo III. et Vladislao IV. Regibus Poloniae confirmationes, adiectae deprehenduntur.

2) Quae §. XIV. e foedere Ferdinandino-Sigismundeo, ſub No. 4. de promiſſione Sigismundi Auguſti Regis, intuitu Iohannis olim Vngariae Regis filio, et ſub No. 13. de Principibus ab illo exceptis, nec non §. XXIII. ex pacto Rudolphino-Sigismundeo ſub No. 4., pariter de reſeruatis ab illo Principibus et No. 5. de promiſſione in procuranda confirmatione Hiſpanica, vt et §. XXV. ſub No. 2., nec minus de Principibus exceptis e conuentione Matthiae Imp. et Sigismundi III. Regis, partim attuli, partim illuſtraui, in noua hac confirmatione plane deſiderantur.

3) Quae

3) Quae de conſiliariis et commiſſariis ad dirimendas lites vtriusque partis contrahentium eorumque ſubditorum in foedere Ferdinandino-Sigismundeo diſpoſita, et a me §. XIV. ſub no. 6. [b]. expoſita leguntur, in hac quoque inſtauratione, ſecundum modum ibidem in not. c. et in §. XXIII. ſub no. 3. a me notatum, mutata ſunt. Reliqua contra omnia cum prioribus, ac fere, de verbo ad verbum conſpirant quam accuratiſſime, hinc nec vlteriore illuſtratione indigere videntur.

§. XXVIII.

Ab hoc tamen anno, ſcil. 1677. haud exiguum effluxit temporis ſpatium, quo de renouanda *perpetua illa vnione Auſtriam inter Poloniamque* tot conuentionibus iam iam firmata, non amplius fuit cogitatum. In Comitiis ſiquidem demum Grodnenſibus 1726. per peculiarem Conſtitutionem, quo amicitia cum Caeſare per ſaeculum non vnum ſeruata, nouo aliquo vinculo conſtringeretur, nominati ſunt ex Senatu et Equeſtri Ordine, qui cum Imperatoris legato eo nomine agerent, ita tamen, ne nouis conditionibus Rempublicam obſtringerent, ſalua etiam in futuris Comitiis ad Ordines relatione, et ab iisdem approbatione. Sed neſcio quae noua forſan oborta impedimenta negotium hocce quam maxime ſalutare ac omnino grauiſſimum ad annum vsque 1732. diſtulerint. Hoc enim anno die III. Nouembr. congreſſu cum magno Caeſaris legato, Comite de Villzek, Varſauiae in arce Regis inſtituto, per nouas tabulas, pacta 1677. repetita ac firmata ſunt, capite ſaltim, quod de conſcribendo milite agit, excepto. Subſcripſerunt, ſalua tamen relatione, approbatione et ratificatione tam Sacrae Caeſar. Regiaeque Catholicae Maieſtatis et Reipubl. in Comitiis generalibus proxime futuris, cum Caeſaris magno Legato, Regni Primas, Epiſcopus Vladislauienſis, Palatinus Kiouiae, Supremus Regni Mareſchalcus, Regni Pro-Cancellarius, Regni Theſaurarius, Lithuaniae Stabuli Praefectus et Succamerarius Sochacenſis. Proximis autem Comitiis, ob inopinatam plane, ac nunquam ſatis lugendam glorio-

gloriosissimi Regis FRIDERICI AVGVSTI mortem, Varsauiae d. 1. Februar. 1733. secutam, effectu suo carentibus; circa hocce negotium Pactis conuentis, Pii, Felicis, AVGVSTI III. Regis Poloniarum, Magni Ducis Lithuaniae et Electoris Saxoniae, summa clementia perpetuaque tranquillitate nunc imperantis, Patris Patriae longe indulgentissimi, inserta leguntur, quae sequuntur: *Compactata vero cum Serenissimo Imperatore per Delegatos ex Constitutione Grodnensi 1726. anno praeterlapso 1732. renouata et ad ratificationem ad Comitia remissa, vt in futuris, Deo annuente Comitiis conclusis, iuxta tenorem suum ratificentur, curabimus.* [a]) Quae praeterea in grauissima hac ac maximi omnino momenti caussa, gesta fuerint, reperire haud licuit, ac speciatim Constitutiones Comitiorum pacificationis extraordinariorum Varsauiae 1736. habitorum eum in finem, sed frustra, perlustraui. Quare hoc vnum adhuc addere lubet, vt qui huius hucusque *illustratae Vnionis* veluti haereditariae Austriaco-Polonicae fructus, praeteritis saeculis Augustae vtrique Genti fuit auspicatus, in posterum sit quam auspicatissimus.

[a]) Vid. de omnibus hoc §. huc vsque a me expositis, *Godofr.* LENGNICH *Pacta Conuenta Augusti III. Regis Polon. M. D. L. et Elect. Sax. Commentario perpetuo illustrata,* §. *XXII. pag. 40. sqq.*

§. XXIX.

Absolutis adeo primae Classis foederibus Austriaco-Polonicis iisque vniuersalibus, altera nunc quoque, particularium scilicet, et quae praestationes quasdam maximam partem continent singulares, a me esset illustranda, quam tamen tractationem, quod in limine huius Commentationis iam monitum fuit, peculiari disquisitioni cogor reseruare. Tuum interim erit B. L. iudicare, quid in praesenti argumento explicando a me praestitum sit. Quod tuum si ex aequo et bono profectum fuerit iudicium, votorum me habere summam putabo.